
CERTISSI-
MA POLITIAE IN

ORBE ROMANO RESTAV-
randæ, ac ſalutaris forma, quam
omnibus ſeculis exhibet lex
poſterior, de Ori-
gine iuris:

*

PER
D. IOANNEM OL-
DENDORPIVM.



APVD SEB. GRYPHIVM
LVGDVNI,
1551.

ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIB. ET DOMINIS,

Dn. Ioanni Fridericho, duci Saxoniæ, ſacri Rom. Imp. *Electori, &c. Dn. Philippo, Landtgrauio Haſſiæ Comiti, &c.*

*

IOANNES OLDENDORPIVS S. D.

QVEMADMODVM *palàm uidemus, illuſtriſſimi* Principes, *quālibet ædificiorum ſtructuram, non adhibita protinus norma, temerè parari: ſic in* Republica *de politicis ordinationibus, ſine uera iuſtitiæ regula inconſtanter tractatur. Eam ob rem* DEVS Opt. Max. *ab initio mundi, rerum geſtarum hiſtorias deſcribi uoluit: ut exemplis tandem omnium ſeculorum ob oculos nobis formam exponeret, ſecundum quam de labeſcente* Reipublicæ *ſtatu feliciter reparando deliberaremus. Et profectò reor neminem latere, quanta ab aliquot annis cura atque ſolicitudine* Cæſarea Maieſtas, *ueſtræ item* Celſitudines, *cum alijs proceribus in orbe* Romano, *frequentibus admodum comitijs id egerint: ut externus* Imperij *ſtatus mirum in modum hoc ſeculo corruptus, priſtinæ puritati reſtitueretur.* Interim *tamen hanc rem ex omni parte adeò nondum ſucceßiſſe, ut etiam forenſia uobis atque omnibus bonis uiris rectiſſimè diſplicceant: uideanturq́; nunquam du-*

riora, quàm hodiè ſunt, fuiſſe. Quis autem hic negauerit pium in reſtauranda politia conatum? Quis dicat Imperatorem Auguſtum atq; Cæſarem, principes optimos, non ultrò fuiſſe ſubſcripturos cuiuslibet ſententiæ, quæ modò ſalutem publicam adferre potuiſſet? Credendum eſt certè, in tam ſolennibus comitijs, multorum animos ad hoc intentos fuiſſe, ut adflictæ tandem Germaniæ conſuleretur. Verùm quod in publicis conſultationibus omnium maximè eſt neceſſarium: id in hodiernum diem (quod ſalua pace dixerim) deſiderari uidetur: hoc eſt, certa quædam ex arte boni & æqui collecta, maiorumq; exemplis adprobata regula, ad quam conſiliorum ratio in quauis rerum ſpecie diligenter exigatur. Tali enim nec alio modo certum aliquid & conſtans de ciuili politia ſtatui poteſt, quod proinde DEVS *ſolet ſucceſſu donare omnibus modis felici. Alioquin, ſi publica conſultatio ad cuiuslibet adfectus redigatur: aliud redibit nihil, quàm pernicioſa opinionum diſſenſio, & ſumma pernicies Reipublicæ.*

Hanc emendandæ in omni imperio politiæ formam, cùm ex ſcriptis legibus, tum ex probatis maiorum exemplis oportet mutuari: qualia in hoc capite Pomponius exhibet: eleganter, ac compendioſo quodam artificio deſcribens totum Imperij ſtatum, eiusq; mutationes: primum, quæ infantia Romanæ Reipublicæ fuerit: deinde qui auctus: quibus legum ſtudijs conſtiterit: quo item iuris neglectu labefactata ſit. His enim exemplis inſtructos eſſe oportet eos, qui rerum publicarum ad emendandam politiæ formam functionem ſuſcipiunt. Reliquæ leges paßim de moribus ueram quidem forenſi diſputatione tradunt philoſophiam. At Pomponius hic uiua de renouandis rebus publicis addit præcepta, hoc eſt, per experientiam apud populum orbis principem

cipem Romanum *comprobata.* Vt *interim ne communi quidem ſenſu præditi uideantur, qui in commentarijs ſuis, atque nunc etiam in ſcholis rixari ſolent de ſtillicidijs(ut* Cicero *uocat) id eſt, de rebus duntaxat obularibus: hanc interim grauiſsimam ciuilis diſciplinæ partem prorſus contemnentes: ut qui de publico rerum ſtatu non magis ſint ſoliciti, quàm ſus de roſis.* Eſt *enim in publicis conſultationibus hominum adfectus mirum in modum fallax, adeoq; talpa cæcior, niſi exemplum & uſu & ratione probatum, ſibi proponat, quod tutò ſequatur.*

Tria *uerò ſunt capita, ad quæ tota iuris* Romani *hiſtoria pertinet: ueluti, de religione iuris & æquitatis, de iudiciaria functione, de re militari.* Quæ *omnia, uolente* DEO, *non in hoc ſunt deſcripta, ut quaſi rem ab alijs geſtam, nihilq; ad nos pertinentem translatitiè legamus: ſed quò magis extarent certa præceptorum teſtimonia, quæ poſteritas in* Republica *feliciter gubernanda, poſſet imitari.* Et *mediuſfidius, quàm diu iſta rerum politicarum capita negliguntur: nulla ſpes erit, ut riuulos functionum in* Republica *purgatiores habeamus, etiam ſi reformationum uoluminibus (ſicut* Athenienſibus *exprobrari ſolebat) porticus impleantur.* Nam *uniuerſis omnium gentium, nedum* Romanorum *exemplis bona fide collatis, euincitur aduerſus omnes ſtultos uitilitigatores, adeoq; aduerſus ipſam nunc regnantem philautiam: nullas unquam* Reſpublicas *floruiſſe, niſi quæ conſtanter ius obſeruarunt.* Et *proinde toto prorſus cœlo erraſſe illos, qui poſthabito legum ſtudio, putauerunt imperia magno potius armorum apparatu poſſe conſeruari, quàm humili iuris religione.* Quoties *ergo ſummus* Romani *imperij ſenatus hoc tempore de reformandis hominum moribus, de iudicijs, de moneta, de propellenda ui hoſtium,*

atque alijs id genus, utique non contemnendis rebus, non reſtituta prius uera iuris traditione, tractat: toties mihi in mentem uenit, optimos proceres id moliri, quod rerum natura negat: ut ex inconſtante iuris diſciplina, conſtantem ſtatuant politiam. Quî enim poteſt fieri (conſcientiam ueſtram appello Principes optimi) ut meliores colligatis fructus antea, quàm meliorem ſubſtituatis arborem? Sunt'ne hæc uera? Adeſt'ne teſtis ille pœnitendus, rerum exitus?

Ego iam de negotio (ut dicunt) Euangelico *non loquor. Primùm, quòd ſumma diuini uerbi maieſtas adoranda ſit: non autem politicis miſcenda tractationibus, quæ duntaxat pædagogiam præſtare debent ad* CHRISTVM: *deinde, ut mendacem atque ſacrilegam uocem in iugulum ſuum recondant illi, quidquid hodie malorum eſt,* Euangelio *impingunt: audentq́; ius ex eo calumniari: ſine quo tamen ne uiuere quidem perditiſſimi homines poſſent. Profectò* Euangelium CHRISTI *nullas abolet leges politicas, quas ipſe probauit: imò, quas per notitias honeſtatis, & lumen naturæ omnibus inſculptum, docuit, uult'que pro conſeruanda tranquillitate obſeruari.* Rom. XIII. *Poſtremò, quia nullo unquam tempore fuit, neque futurum eſt certius de religione conſilium, quàm quod per Gamalielem in Actis edidit ſpiritus ſanctus ipſe.*

Interim, ut redeam ad politiæ reparationem, puto Celſitudines ueſtras, omnesq́; bonos uiros ex his intelligere: quo conſilio caput hoc poſterius, De origine iuris, *aliquod ſcholijs foro noſtro adcommodandum ſuſceperim. Siquidem ad hanc ueſtram reſtaurandæ ſemel* Reipublicæ *laudatiſſimam ſanè operam, breue* Pomponij *ſcriptum, inſtar multorum (ut* Cicero *de* XII. *tabulis dicit) commentariorum adiumento uobis eſſe poteſt: nempe qui magna rerum ciui-*

lium

lium non modò ubertate, ſed etiam incredibili grauitate ſtatum Romanæ Reipublicæ *depingit, oſtendens legitimam eius adminiſtrationem: adijciens incommodorum remedia: commemorans optimorum principum ſtrategemata.* Breuiter, *non uerbis tantùm, ſed rebus ipſis ciuilem repurgandæ politiæ diſciplinam pertractans.*

Vobis autem, illuſtriſſimi Principes, *hanc qualemcunque deſcriptionem nuncupare uolui, imò debui: quibus nihil prius in uotis eſſe conſtat, quàm ut in orbe* Romano *pleraque luxata, tandem ad normam boni & æqui reſtituantur: ſimul etiam ut uideatis quid ſit in cauſa, cur tantus huc uſque comitiorum apparatus exiguam admodum, ne dicam prorſus nullam opem* Reipublicæ *attulerit: certiſſimam autem melioris politiæ ſpem fore, ſi primum omnium iuris traditio uindicata fuerit à deſultorijs commentatorum opinionibus. Nam tunc conſtantia mox iudiciorum, & proinde beata (quoad per humanam fragilitatem licet) rerum omnium tranquillitas, autore* CHRISTO, *ſequetur.*

Et quanquam habetis (fateor libenter) in academijs ueſtris multos, à conſilijs plures, qui hæc atque id genus alia uobis poſſunt ſuggerere: præterquam quòd ipſi magna donati prudentia, ſæpè procul dubio uobiſcum perpenditis: attamen quid refert Pomponium *quoque (ut* Iulius *Cæſar de* Cicerone *dixit) admonentem audire? Imò, ſi cæcus iter monſtret, cur fuerit aſpernandum? Ego certè uel ex iureiurando ſuſceptæ profeſſionis, hoc ipſum propter ſalutem publicam pro uiribus exhibere debui: quamuis inter homines nunc occupatiſſimos, alioq́; intentos, cum* Diogene *fortaſſis non niſi dolium uoluere uideor, hoc eſt, ſine fructu pleriſq́; proceribus hoc ſcriptum edere: quando crudelis ille tyrannus* Mos, *non ſinit obſtinatos eorum adfectus eò perduci, ut*

ci, ut ſalutare Pomponij conſilium conſilium amplectantur. Interim tamen nihil dubito, quin uos meam hanc interpellationem, ſitis pro excelſo erga patriam animo, non aliter conſulturi, quam ego nullius ambitionis mihi conſcius, in hoc tantùm edidi, ut Reipublicæ *prodeſſet ad gloriam* CHRISTI: *qui Celſitudines ueſtras conſeruet uerè felices.* Coloniæ Agrippinæ, Calendis Februarijs, *Anno*

M. D. XLIII.

POMPONIVS

LIBRO SINGVLARI ENCHIRIDII.

ARGVMENTVM.

Hiſtoriam & originem,non ſolùm iuris, ſed uniuerſi ſtatus Romani, Pomponius incredibili quadam grauitate deſcribit poſteritati: ut magiſtratus cuiuslibet ſeculi diſcant,in adminiſtranda Republica, quid amplecti, quid item uitare debeant: quibus deniq; modis ea,quæ corrupta ſunt,emēdari poſsint ſine magna turbatione:& breuiter,uiuis exemplorum præceptis docet artem boni & æqui:per quam,ſicut princeps orbis Roma olim ad ſummum honoris faſtigium euecta fuit: ita iam nunc quoque imperia feliciter propagari poſsint.

NECESSARIVM itaq; nobis uidetur in primis,ipſius iuris originē atq; proceſſum demonſtrare. Et quidē initio ciuitatis noſtræ populus ſine certa lege,ſine iure certo primùm agere inſtituit, omniaq; manu regis gubernabantur.

Neceſſarium. *Rationem neceßitatis in præcedenti capite Caius adfert lōgè grauißimā: quoniā omniū rerū pfecta cognitio eſt,quæ omnes partes cōplectitur. Sed cuiuſq; rei potißima pars eſt principiū: ergò, cognitionem principij in iure quoq; tractando oportet præcedere,ut ſciamus quorum autoritate primùm ius in ciuitatem* Romanā *uenerit.*

In primis. *Hoc eſt,ante omnia. Aliâs,pro præcipuè,*

excellenter,ut infrà §.fuit autem.

Originem atque proceſſum. *Quibus ſcilicet autoribus cœptum ius, quotidie in melius productũ ſit, cum tota politia. Si autem uolueris altius repetere, unde ius deſcenderit, uide l.j.ff.de iuſtit. & iur.*

Ciuitatis noſtræ. *Romanæ, quæ omnes imperij conditiones experta eſt: & exemplum præbet omnibus ſeculis memorabile.*

Ciuitas autem eſt multitudo ſeu uniuerſitas ciuium, in hoc collecta, ut iure ſocietatis uiuat optimo. Ciuis enim dictus eſt, quòd in unum coëat cœtum, & ſub legibus uiuat politicω̃s.

In ciuitate, & ubiuis locorum, neceſſariò requiritur, in primis uerbum DEI: *deinde magiſtratus, qui adminiſtret Rempublicam. Id quod gentes quoq;, quamuis Chriſtum ſeruatorem noſtrum ignorarent: lumine tamen naturali aliquo modo cognouerunt. Ideoq; intra exempla iuris publici referuntur, ſacerdotes & magiſtratus, in l.j.§.j.ff.de iuſtit. & iur.*

Hac ratione ciuitas appellari ſæpè ſolet ἐκκλησία, *hoc eſt, cœtus uel congregatio: non qualiſcunque, ſed conciliata in unam ſocietatem communionemq; fidei & ſacramentorum. Apoſtolus ad Corinthios: Eccleſiæ Dei (inquit) quæ eſt Corinthi. Et Coloſſ. 1. Pro corpore ipſius (ait) quod eſt eccleſia. Auguſtinus pulchrè. Diſtinct. xiiij. cap. legimus.*

Rectiſſimè ergo dicunt Imperatores, Eccleſiam & Rempublicam, paribus ambulare paſſibus, & eodem fauore cenſeri. l.fin.C.de ſacroſan.eccl. Nouell. de non alien. aut permu.§.finimus ergò. Conſtitu. VII. *Nec multum diſtant (ut Iuſtinianus uocat) ſacerdotium & Imperium: quoniam*

illud quidem diuinis miniſtrans, hoc autem humanis præſidens, ex uno principio procedunt, & eodem tendũt, id eſt, ad Chriſtum. Nouell. *quomodo oport. epiſc. in princ.* Conſtitut. v 1.

Vnde ſequitur: omnes res, omniaq́; priuilegia, quæ eccleſijs donantur, publici iuris ac uniuerſitatis eſſe, non ſingulorum, aut unius ordinis. l. in tantum. §. j. ff. de rer. diuiſ. §. nullius. Inſtit. eod. tit.

Et hæc eſt uera ſignificatio ciuitatis: ad cuius commendationem nihil unquam dictum fuit, aut dici poteſt ex iure ciuili præclarius eo, quod Cicero *in* Scipione: *Nihil eſt enim (inquit) illi principi* Deo, *qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat acceptius, quàm conſilia cœtusq́; hominum iure ſociati, quæ ciuitates appellantur.*

Aliàs accipitur ciuitatis appellatio, pro iure ac libertate, qua ciues utuntur. Vnde dicebantur olim, ciuitate Romana *donari, quorum exempla commemorat multa* Cicero *pro,* L. Cornelio Balbo.

Aliàs denique ſolet uſurpari ciuitas pro mœnijs duntaxat & ædificijs. Sicut etiam Eccleſiæ *ſignificatio ad paucos ordines redigitur, adeoq́; ad templum materiale, in titulo,* C. *de ſacroſanct. eccleſi. Et de his, qui ad eccleſi. confugi.*

Sine certa lege. *Hoc eſt, quæ conſtante aliqua & perpetua honeſtatis ratione perlata eſſet.*

Agere inſtituit. *Hoc eſt, uiuere cœpit.* Cicero *pro* Cluentio: *Quæſo (inquit) ut me, iudices, ſicut facere inſtituiſtis, benignè attenteq́; audiatis. Aliàs, & propriè inſtituere, eſt aliquid grauiter decernere: ut inſtituta maiorum. Aliàs denique accipitur pro docere.*

Vnde inſtitutiones iuris appellamus.

Manu. *Id eſt, poteſtate, ſeu autoritate regia, quæ in negotijs qualicunq; cognitione definitis, reputabatur apud ſubditos uice legis. Errant igitur tota uia, qui manũ pro uiolento quodam & tyrannico iuſſu accipiunt, ſine ulla ciuili diſceptatione. Nam reges, inter quos & Romulus, & alij principes erant optimi, non exercebant tyrannidem, ſed iudicia: quanquam ſine certa id temporis formula & ſolennitate.*

Gubernabantur. *Cæterùm, quàm impoßibile fuerit talem gubernationem diuturnam eſſe declarant ea, quæ ſequuntur.*

ARGVMENTVM.

Conſilii primùm Romæ inſtituti, & legum à regibus latarum occaſionem eleganter deſcribit.

POſtea aucta ad aliquẽ modũ ciuitate, ipſe Romulus traditur, populũ in triginta partes diuiſiſſe: quas partes curias appellarit, propterea ꝙ tũc reipublicæ curam per ſententias earum partiũ expediebat. Et ita leges quaſdã & ipſe curiatas ad populũ tulit, tulerũt & ſequẽtes reges. quæ omnes cõſcriptæ extant in libro Sexti Papyrij: qui fuit illis tẽporibus, quibus Demarati Corinthij filius, ex principalibus uiris. Isq; liber (ut diximus) appellatur ius ciuile Papyrianũ: nõ quia Papyrius de ſuo quidquã ibi adiecit, ſed quòd leges ſine ordine latas, in unũ compoſuit.

Ad aliq

Ad aliquem modum. *Hoc eſt, aliquantum uel aliquatenus multiplicato ciuium paulatim confluentium numero.*

Ciuitate. *Hinc uides, non tyrannide nec infeliciter fuiſſe gubernatam ciuitatem* Romanam, *quæ auctaſemper creuerit.*

In augenda uerò ciuitate, magnum adhibere oportet delectum. Nam *admittere paßim omnes, populoſam quidem,non autem magnam ciuitatem facit.* Et *Socrates lege ſanciuit:ut nec parua ſit ciuitas, nec magna,ſed una & ſufficiens.* Quam *ob rem* Cicero *eleganter: aduentitiam illam otioſorum hominum multitudinem,appellat fæcem ciuitatis,ut quæ nulli proſit,multos autem oneret.*

In triginta partes. Ex *Liuio id ſatis apparet lib.1. Aliam diuidendi populi formã, uiciſsitudo temporis ſuaſit,uidelicet in tribus,hoc eſt,in partes tres.* Et *rurſum quãlibet tribum in partes decem: quas ideò decurias, & præcipuos eorum decuriones nominabant,teſte* Dionyſio Hali. *lib.2.* Nunc *ciuitates habent uarias populi diuiſiones, quæ tamen ad ueram rationem utilitatis publicæ non exiguntur, ſed ex more obtinent corrupto.*

Curias. *Obſerua hic etymologiam,*Reipublicæ *conuenientißimam. Curias enim à cura dictas eſſe, ueluti per quas publica ſalus curaretur, non ſine magna ratione* Pomponius *admonet.Siquidem cura, ſolicitudo eſt & anxietas animi,quaſi cor edens.*Et *profectò tali conatu atq; diligentia* Rempublicam *iuuare oportet.*

*Curia autem,aliàs ſignificat ordines hominum,qui curant, ut hic: aliàs locum,in quo curabantur res diuinæ,uel humanæ.*Nam *& curia ſacerdotum, & curia ſenatus erat, ſicut* Hoſtilia.

Inde

Inde curiales,ſeu curiones,ad curiam pertinentes. Curio maximus, cuius autoritate curiones regebātur. Curiata lex à curiatis comitijs. Curio natus,ipſe magiſtratus. Iſta enim omnia ſignificantiſsimam habent deriuationem à cura, ſcilicet quæ ad publicam utilitatem pertinet.

Hoc *tempore dicimus curiam* Romani *pontificis,* Im*peratoris, aliorumq́; principum, quòd ibi frequentiam hominum uerſari uidemus. Cæterùm, uim & poteſtatem uerbi, hoc eſt, rem ipſam quam ſignificat, nemo animaduertit: & propterea curiarum maieſtas in leuiſsimos uſus paulatim eſt perducta.* C. *Si curialis relicta ciuitate, rus habitare maluerit.*

Curiatas. Hoc *eſt, curiatim latas. Conuocato enim per triginta curias populo, ſingulisq́; curijs uelut in ſepta ſegregatis (id enim cōmodius uidebatur ad euitandam multitudinis confuſionem) ſententiæ rogabantur, ad probandas uel improbandas leges, quæ ferendæ fuiſſent.* Eodem *modo curiata comitia nuncupabantur, à coeundo: quòd omnes populi curiæ & partes coirent.*

Obſeruandum igitur eſt, quòd quanquam initio ciuitatis, cùm populus adhuc non ita frequens eſſet, manu gubernari R*eſpublica ab autore illius* R*omulo poterat: aucto tamen uel paululum ciuiū numero, impoſsibile fuit ſine legibus politicam adminiſtrationem cōſeruari.* Nam *ciuitas ſine legibus, eſt corpus ſine anima, ut ait* Cicero. Q*uocirca multùm eleganter* A*riſtoteles in* E*thicis:* I*deò (inquit) non cōcedimus ut homo imperet, ſed ratio.* N*on homo hoc ſibi tribuit, & fit tyrannus.*

Proinde, dic rogo: quî fieri poteſt, ut uel ulla ſpes ſit reſtaurandæ hoc ſeculo politiæ, niſi primùm recta introducacatur iuris tradendi ratio? ut infrà dicetur.

Sequentes

Sequentes reges. *Videlicet Numa Pompilius, Tullus Hoſtilius, Ancus Martius, Tarquinius Priſcus, Seruius Tullius, Tarquinius Superbus, eiectus regno.*

Sexti Papyrij. *Plures fuerunt, & duplicis familiæ Papyrij. Vt Sextus Mamius Papyrius, de quo hic loquitur. Papyrius item Prætextatus, L. Papyrius, & Cn. Papyrius. Sextus autem Mamius Papyrius uixit tempore Tarquinij Priſci, uſque ad initia mutationis Romanæ politiæ.*

Ex principalibus uiris. *Hoc eſt, ex præcipuis atque primarij nominis. Intelligi autem uult Tarquinium Priſcum: teſtes ſunt Liuius lib. j. Et Cicero Tuſcul. lib. v.*

Non quia. *Colligunt hic argumentum ſimilitudinis ab opera eius, qui librum alterius ad ordinem iuſtum reformat, honorem certè meriti, ut ſuus liber appelletur: ad operam ruſtici alienum colentis agrum, quem ſuum ſolet nuncupare. l. cùm aliquis. C. de iure deliber. Vbi ſeruus dicitur illius, cuius re uera non eſt.*

Vtrunq; quidem uerum eſt, ſed certè diſsimili ratione. Nam multùm diſtant honor, qui debetur homini induſtrio, & uulgaris uſus, qui ruſtico id tribuit.

Interim animaduerte, quãti æſtimanda ſit methodus, hoc eſt, iuſtus ordo tractandi: ut nihil effeciſſe, qui ſine ordinato progreſſu ſcribit, aut docet, rectiſsimè iudicetur.

Compoſuit. *Hoc eſt, concinnauit, ut facilè à lectoribus intelligerentur leges, quò pertinerent, quis uſus earum eſſet in foro.*

Componere enim, eſt multas res apta quadam cohærentia, & uelut harmonia ſimul ponere, coniungere. Sic dicimus componi carmina, leges, ædificia, orationes. Vnde pulchra admodum metaphora componere cenſemur lites,

pro conc

pro concordare, ad bonas conditiones paciſci. Et *compoſitò aduerbialiter, hoc eſt, ex pacto: cuius oppoſitum eſt, non ex compoſito.*

Leges autem à regibus latas recenſet Dionyſius *Halicarnaſ*. Non *eſt operæ pretium, ut eas recitemus.*

ARGVMENTVM.

Prima mutatio Romani ſtatus, à regibus ad conſules: cuius tamen nō alia fuit cauſa, quàm tyrannis, hoc eſt, ſæuum ac uiolentum imperium, quod rex ultimus tandem exercere cœpit.

Exactis deinde regibus, lege Tribunitia omnes leges hæ exoleuerūt: iterumq́ue cœpit populus Romanus incerto magis iure, & cōſuetudine aliqua uti, quàm plata lege: idq́ue ꝑpè uiginti annis paſſus eſt.

Regibus. R*epetēda eſt tironibus iuris hiſtoria hæc: ut intelligant, quare tanta rerum mutatio acciderit.*

Itaq; Tarquinius Superbus, cùm nomini ſuo uita reſpōderet, imperio contra ius & fas abuſus eſt, contemnens omnia. Tandem non ſolùm ſeſe uehementer exoſum reddidit populo: uerùm etiam Sextum Tarquinium filium eius, cum tota prorſus aula exemplo uitæ ſuæ corrupit: ut quod libêret, id audere non uererentur. Is ergo Sextus, Lucretiam inter matronas Romanas honeſtiſsimam, nocturnis inſidijs atque ui ſtuprum pati coëgit. Quæ cùm grauiſsimis uerbis iniuriam ſuam in conſilio patris, mariti ac neceſſariorum deploraſſet, ferro ſe, quod ueſte tectum attulerat, interemit. Hoc tam crudele facinus Tarquinij, & miſer Lucretiæ interitus, populum iam tyrannicæ factionis pertæſum facilè commouit, ut reges eijcerentur: hoc eſt, ut ne nomen quidem regum, multò minus regni forma Romæ maneret. Itaq; Brutus conſul primus omnium

uoto

uoto deſignatus eſt, cum Lucio Tarquinio Collatino. *Et ſic regium imperium fuit mutatum in conſulare.* Anno ab urbe condita CCXLV.

Exactis. *Exigere, ab ex & ago, proijcere, expellere, Auſtreiben.*

Aliâs, debitum petere, ut exigere pecuniam. Et *exactores, qui exigunt. C. de exactori. tributo.*

Lege Tribunitia. *Rectius autem poteſt intelligi de tribunis plebis, quorum autoritas ſolet appellari Tribunitia: non autem de* Bruto *tribuno Celerum, ut quidam putant. Is enim autor tantùm fuit lêgis Iureiurando (ſicut* Liuius *teſtatur) ſanciendæ: ut regium imperium perpetuò abderetur.*

Exoleuerunt. *Exolêre, pro deficere, ac uetuſtate quadam euaneſcere, hîc accipitur. Nam ſublato prorſus ſtatu regio, lêges quoque regum bonæ cum malis propter tyrannidem Tarquinij diſplicebant, & paulatim negligebantur.*

Iterumq́;. *Hoc eſt, rurſus, widerumb, non determinando ullum tempus. Alibi ſignificat ſecundò, Zum andern maell.* Paulus *in l. Veluti. ff. de edend.* Cicero: *Primò quidem decipi (ait) incommodum eſt: iterum ſtultum: tertiò turpe.*

Sicut igitur initio ciuitatis, ita & poſt exactas lêges populus incerto iure uſus fuit. Nam & medio tempore non potuerunt certæ lêges cenſeri, ſi quæ fortaßis & ſine ordine, & ſine norma iuris naturalis obiter ſcriptæ fuiſſent.

Et conſuetudine. *Non immeritò conſuetudinem refert ad ius incertum: & utrunque opponit perlatæ lêgi. Frequenter enim etiam nunc uſuuenire uidemus, quòd ple-*

raque non ratione introducta, ſed errore primum, hoc eſt, uaga quadam obſeruatione: tandem conſuetudine retinentur, autore Celſo in l. quod non ratione. ff. de legibus.

Quàm perlata lege. *Hoc eſt, quæ conſtante quadam ac perpetua honeſtatis ratione lata eſſet.*

Paſſus eſt. *Emphaſim habet, pro ſuſtinuit, tolerauit, æquo tulit animo: ne turbaretur reſpublica ex recenti mutatione non ſatis firma. Vide Cicero de inuentio. Patientia (inquit) eſt honeſtatis aut utilitatis cauſa rerum arduarum ac difficilium uoluntaria ac diuturna perpeßio.*

Iſtud autem cùm primis hîc animaduertendum eſt: populum Romanum uiginti uix annis potuiſſe ſine certo iure uiuere, quin lêges à Græcis peterentur. Videbant enim futuram, niſi certis uterentur legibus, extremam Reipublicæ calamitatem. Quid igitur de hoc ſeculo dicetur, quod nullum planè ius habet? Nam tota Pomponij & omnium Iuriſconſultorum diſputatio forenſis probat: paria cenſeri, non eſſe ius, aut incertum eſſe. l. ij. ff. de iur. & fact. ignoran. Sed hodie ſtulta commentatorum diſſenſio facit omnes præclaras lêges incertas, & ſine ullo fine huc atque illuc retorquet. Ergo uelimus, nolimus, fatendum eſt, hoc ſeculo nullum ius extare, quo Reſpublica rectè gubernetur. Quam conſequendam heu nimis ueram, & imperium ubique laceratum, & corrupti mores, iudiciaq; mirum in modum conſtuprata demonſtrant.

ARGVMENTVM.

Secunda mutatio Romani ſtatus, à conſulibus ad decemuiros: quæ propter lêges ferendas contigit. Et eſt origo xii. tabularum, quæ cœpit anno ab urbe condita CCCIII. ab eiectis uerò regibus LX.

Poſtea ne diutius hoc fieret: placuit

publica

publica autoritate decem conſtitui uiros, per quos peterentur leges à Græcis ciuitatibus, & ciuitas fundaretur legibus. Quas in tabulas eboreas perſcriptas, pro Roſtris compoſuerũt, ut poſſent apertiùs percipi. Datumq́ eſt eis ius eo anno in ciuitate ſummum: uti leges corrigerent, ſi opus eſſet, & interpretarentur: neq; prouocatio ab eis, ſicut à reliquis magiſtratibus, fieret. Qui ipſi cùm animaduerterũt aliquid deeſſe iſtis primis legibus: ideoq́ ſequenti anno alias duas ad eaſdem tabulas adiecerunt, & ita ex accidẽte appellatæ ſunt leges duodecim tabularum: quarum ferendarum autorem fuiſſe decem uiris Hermodorum quendam Epheſium exulantem in Italia, quidam retulerunt.

Hoc fieret. *Et ne fieri quidem potuiſſet ullo modo, ut populus incerto iure uteretur ad dirimendas quotidie incidentes cõtrouerſias rerũ et negotiorũ, in tam magna ciuitate.*

Placuit. *Communis ſenſus ſuggerebat omnibus, neceſſarium eſſe, ut ſcriberentur certæ lèges. Scribi autem certas non poſſe ſine aliquo inſigni exemplo. Itaque mittendos autoritate publica legatos, qui ex Græcia eo ſeculo omnium diſciplinarum principe, lèges adferrent, tum ſcriptas, tum non ſcriptas, hoc eſt, bonos mores.*

Prudentiſsimo autem hoc Romanorum conſilio moueri utique deberent noſtri hodie magiſtratus: tractationem melioris politiæ non anteà ratam fore, quàm ſi iuris

traditio rectè fuerit conſtituta in ſcholis & in foro.

Decem. *Videlicet,* App. *Claudium Sabinum,* T. L. *Genutium,* P. *Seſtium Vaticanum,* T. *Venutium Cicurinum,* C. *Iulium Tullum,* A. *Manlium,* P. *Sulpitium Camerinum.* Sp. *Poſthumium Album,* P. *Oratium Puluillum,* T. *Romulium Varicanum.*

Sunt qui ex Feneſtella *& alijs hiſtoriographis colligunt, tres duntaxat fuiſſe miſſos legatos,* Sp. *Poſthumium Album,* P. *Sulpitium Camerinum,* A. *Manlium. Cæteros uerò ad hoc fuiſſe deſignatos, ut lèges adlatas interpretarentur, & componerent.* Interim *locum hunc* Pomponij *ualdè torquent, ne repugnet.*

Sed quid prohibet ſic conciliare omnes, ut dicamus tres Athenas *miſſos, & interim alios ad alias ciuitates Græciæ?* Præſertim *cùm* Pomponius *hic ſcribat:* A Græcis ciuitatibus. *Erat certè negotium longè maximum, perquirere lèges atque mores Græcorum.*

Fundaretur. *Quemadmodum enim ſine fundamento per rerum naturam non ſubſiſtit ædificium: ita multò minùs ſine legibus ciuitas.* Porrò *cùm* Romana *Reſpublica quotidianis ſeditionibus fluctuaret: non alio niſi iuris & æquitatis præſidio fulciri potuit.*

Eodem *modo qui nunc temporis conſultant de reſtauranda in orbe* Romano *politia: his ſimul etiam cum primis cogitandum eſt de reſtaurando iuris ſtudio, hoc eſt, de introducenda uera & ſimplici iuris profeßione, per quam iuuentus ad publicas functiones quandoque in foro ſuſcipiendas conſtanter erudiatur, abolitis commentatorum opinionibus, barbariæ, periſſologia formularum, atque alijs id genus impoſturis.*

Et *ecce,* Romani *olim maxima ſolicitudine in Græciam miſerunt,*

miſerunt, ut exempla legum certa mutuarentur. Noſtri *uerò proceres domi habent, tum à Græcis adlatas, tum* Romanorum *lêges, quas pro temporis ratione in uſum fôrenſem reducant, ad reparandam imperij maieſtatem: attamen neſcio qui fiat, ut res tam ſalutaris negligatur.*

Tabulas eboreas. *Liuius refert in æs fuiſſe inciſas. Sed haud dubiè in plures tabulas translatæ ſunt. Eboreæ autem, uel eburneæ dicũtur ab ebore, hoc eſt, elephanti dente.* Barrhus *enim ſignificat elephantum. Sic marmoreæ tabulæ dicuntur à marmore.* Quintilianus *lib. 4. Cùm in triumpho Cæſaris eborea oppida eſſent tranſlata.*

Perſcriptas. *Emphaſim hic habet: hoc eſt, ita deſcriptas, ut perpetua earum conſtaret cognitio. Hodie perſcribi rectè dicimus id, quod ad publicum ſcribitur monumentum,* In das Staedt buech ſchreiben. *Aliâs perſcribere, eſt totum ſcribere,* Gaer auß ſchreiben.

Pro roſtris. *Schema eſt, ſeu figura loquendi, à protrito ſermone, ornatus gratia nonnihil mutata: ſicut dicimus, pro curia, proſcenium.* Nam PRO, *ſignificat ante uel in.* Vt, *pro roſtris, hoc eſt, ante roſtra, uel in roſtris: ſcilicet appellatione ducta ab eo, quod eſt in loco, ad ipſum locum. l. penult. ff. de iuſtit. & iur. Siquidem roſtra nauium* Anciatibus *inſigni quadam uictoria ereptarum,* Die ſnaebel oder ſpitz der ſchiff, *ante curiam* Hoſtiliam *exponebantur: ut aliud nihil ſit pro roſtris, quàm in loco roſtrorum, ſeu ante curiam* Hoſtiliam, *quæ ſenatorum erat,* Vor das radts hauß.

Compoſuerunt. *Hoc eſt, diſpoſuerunt, conſtituerũt: aliam ſignificationem habet, quàm ſuperiùs.* Erant *enim lêges duodecim tabularum compoſitæ, ſeu in ordinem redactæ, antequàm exponerentur pro roſtris.*

Apertiùs. *Erat enim eo in loco ſemper hominum fre-*

quentia. Et ſanè oportebat nouas lèges omnibus innoteſce-re, ne quis ignoratione earum poſſet excuſari. Probatur Nouel. Vt nouæ cōſti. *poſt alias.* Cōſt. L X V I. *Vt aūt reſipſa (inquit Iuſtinia.) apertiùs exprimatur: ſancimus, ut ſi talis de ſcribatur lex, poſt duos demū mēſes (quod illi tēpus præſtitutū eſt) quàm inſinuata fuerit, ſiue in hac alma urbe, ſiue in prouincijs, ualeat & ſuo in* Republica *munere defungatur.*

Ius. Hoc *eſt, poteſtas, facultas. Summū autem addit: quoniam noua legum introductio ſine maxima autoritate fieri commodè non poterat.*

Corrigerent. Hoc *eſt, emendarent.* Non *quòd ipſæ lèges in ſe non eſſent optimæ ſed quia loco & perſonis non ſatis conueniebant aliqua ex parte. Quomodo enim poterant* Romani *omnia Græcorum inſtituta recipere?* Haud *dubiè tamen optimas lèges decemuiri apud Græcos collegerunt.* Ideoq; *addit:* Si opus eſſet.

Et interpretarentur. *Officiū enim boni legis latoris in his duobus potiſſimùm uerſatur:* Primùm, *ut ſtatuta ſua loco, tempori, perſonis, & rebus adcommodet: deinde, ut aperta ſint, & ſi dubitatio incidat, ab ipſo autore interpretentur, non ab alijs pro ſuo adſectu. Ideò inferiùs appellat,* Fori diſputationem.

Neq; prouocatio. *Apparet igitur, olim prouocationem ad populum apud* Romanos *fuiſſe.* Imò, & *initio à regibus ad populum nōnunquam appellari ſolebat: quoniam ſummum defendendi præſidium in appellatione ſitum eſt, neque poteſt tolli perpetuò. l. j. in princi. ff. de appella. dum dicit:* Quamq; neceſſarius.

Sicut. *Diſsimilitudinem notat inter decemuiros, & reliquos magiſtratus.* Ideò *referēdum eſt ad uerbum* Prouocatio, *nō ad uerba,* Neq; ab eis. Hoc *ſenſu:* Datūq; *eſt, ne ab*

ne ab eis fieret prouocatio, ſicut à reliquis magiſtratibus ſemper prouocari ſolebat.

Animaduerterunt, *Hoc eſt, cogitauerunt, conſiderarunt. Animum enim & omnes ſenſus in lêges illas uertiſſe decemuiros ſignificat. Aliâs animaduertere, eſt animi iram exercere, punire. Vnde animaduerſio ſæpe pro pœna accipitur.* Cicero Officio. lib. j. *Omnis autem & animaduerſio & caſtigatio contumelia uacare debet.* Idem: *Si acres (inquit) ac diligentes eſſe uolumus animaduerſores uitiorum, magna ſæpe intelligimus ex paruis. l. iij. ff.* De iuriſdictio.

Aliquid deeſſe. *Poterant enim multa deſiderari apud* Romanos, *quorum Græci nullam habuerunt rationem in ſua politia.*

Sequenti anno. *Summum ius, quod decemuiris uno tantùm anno datum fuit, proferebatur in annum ſequentem. Sed ecce, cùm ne tunc quidem finem facerent, nouo maximoq; magiſtratu luxuriantes: læta principia tantæ rei non fuere diuturna, teſte* Liuio.

Alias duas. *Videlicet, de matrimonijs patriciorum cum plebe is, alijsq; ordinibus populi.*

Ex accidente. *Colligunt hîc, accidens præualere principali. Quod & probari uidetur in l. ſi eadem. ff. de offici. adſeſſo. l. j. §. Beſtias autē. ff. de poſtuland. l. penulti. ff. de uſu, uſufruct. & reditu.*

Ex diuerſo uidetur, originem magis, quàm accidens ſpectandum eſſe. Inſtit. *de rer. diuiſio. §.* Pauonum *quoque. l. ij. in fi. ff.* Ad *legem* Aquili. *l. fi.* C. *de his, qui ueni. ætat. impetra.*

CONCILIATIO.

In his, quæ per rerum naturam ſic ſtabilita ſunt, ut nullo

accidente mutari, aut poßint, aut debeant, originem reſpicimus. Vbi *uerò accidens aliquid diuerſitatis adferre poteſt rei uel negotio: ibi certè conſideranda etiam ſunt ea, quæ accidunt.* Imò, *bonum & æquum quod uerum ius eſt, ex circunſtantijs æſtimari ſolet.* Vt *hîc, primus tabularum numerus fuit, decem: adiectis duabus tabulis auctus fuit, ut nunc ſint, duodecim tabulæ.* Item *in l. ſi plagis. §. in cliuo. ff. ad leg.* Aquil. Reſpondi *(inquit* Alfenus*) in cauſa ius eſſe poſitum, hoc eſt, in qualitatibus accidentis facti.* Et Claudius Saturninus *in l. aut facta. ff. de poenis.* Sed *hæc quatuor genera (ait) conſideranda ſunt ſeptem modis: id eſt, qualitatibus accidentium.*

Hermodorum. *Hunc uirum bonum* Ephesij *uitijs corruptißimi ferre non poterant, & in exilium egiſſe traduntur, dicentes:* Nemo *noſtrum frugi eſto, teſte* Strabone. Heliogabalus *peßimus* Romanorum *imperator, ideò infenſus fuiſſe* Alexandro *adoptato legitur, quòd impudicus non eſſet.* Idem *tyrannus* Vlpianum *officio ſuo mouit, quia uir bonus erat, autore* Lampridio. Cicero *in oratione pro* Cornelio Balbo: *Seculi ſui labem eſſe deflet, & maculam, uirtuti inuidere, ipſumq; florem dignitatis infringere.* Adeò *omnis excellentia multitudini eſt infenſa.*

Solon *grauiter adſerit,* Rempublicam *duabus potißimum rebus conſtare: præmio, & pœna.* Præmium *uirtuti debetur: pœna autem malis, quos nulla honeſtatis ratio mouet ad rectè uiuendum.*

Noſtri *hodie pœnas habent ac uaria tormentorum genera aduerſus malos: ſed præmiorum apud pleroſque adeò nulla eſt ratio, ut mercem uilißimam pluris æſtiment, quàm omnes bonarum literarum uniones.* Quid *hoc, rogo, eſt aliud, quàm alteram* Reipublicæ *partem utcumq;*

curare

curare, alteram eamq́; maximam prorſus negligere?

Exultantem. *Quemadmodum enim contemnendum nõ eſt, etiam ſi cæcus iter monſtret: ita neminem aſpernari oportet, qui ad bene uiuendũ in* Republica *uiã oſtendat.*

Spero equidem futurum, ut pij principes atque magiſtratus, me quoque cum Hermodoro ſint exaudituri, in hoc ſcilicet reparandæ ciuilis diſciplinæ ſalutari negotio. Præſertim, quòd uideo doctiſſimos Germaniæ præceptores idem mecũ ſentire, atque ſtrenua admonere opera.

ARGVMENTVM.

De interpretatione prudentium, quæ non contemnenda iuris ciuilis pars eſt, obiter explicat initia.

His legibus latis, cœpit (ut naturaliter euenire ſolet) ut interpretatio deſideraret prudentium autoritatem, neceſſariamq́ diſputationem fori. Hæc diſputatio & hoc ius, quod ſine ſcripto uenit, compoſitum à prudentibus; propria parte aliqua non appellatur, ut cæteræ partes iuris ſuis nominibus deſignantur: ſed communi nomine appellatur ius ciuile.

His legibus latis. *Hoc eſt, poſtea quàm latæ ſunt leges duodecim tabularum, quæ paucæ admodum fuerunt, in tam magna* Republica, *& negotiorum quotidie incidentium mundo, ut ſic dicam.*

Cœpit. *hoc eſt, contingit, euenit.*

Vt naturaliter. *Natura enim Adæ lapſu corrupta, de qua hic loquitur, facit: ut in re noua, & non ſatis aperta, unuſquiſque amplectatur ſententiam lucro & adfectui ſuo magis deſeruientem. Suo enim quenque ſenſu abundare,*

Apoſtolus ſcribit. Aliás ſſrè natura pro ipſa honeſtatis notione accipitur. Vnde ius naturæ, naturalis item iuſtitia diciiur. Inſtit. De iur. natura. genti. & ciuil. in prin.

Prudentium autoritatem. *Vtrumque ad interpretationem requiritur: prudentia, hoc eſt, multarum rerum memoria, & uſus plurium negotiorum, teſte Cicerone. Autoritas, id eſt, ueneratio, per quam à maioribus declaretur in aliquo prudentia, ne ambitione quadam & philautia uindicetur priuatim.*

Diſputationem fori. *Diſputare, à dis & puto, are, eſt purum facere. Ideoq; per translationem ſignificat, rem aliquam hinc atque inde collectis rationibus agitare, ut ueritas tandem cognoſcatur. Fori ergo diſputationem hic accipit pro adplicatione legum ad commoditatem Reipublicæ, cuius negotia in foro tractari ſolent. Dicimus enim in foro diſputare, ſicut, Vti foro, Deſeruire foro.*

Ineptiſſimè autem Iſidorus in maſculino genere dixit, Forus, quem Romanus Pontifex ſequitur in c. Forus. De uerbo. ſignifi.

Hæc diſputatio. *Quæ tum cœpit, cùm decemuiri nimium luxuriantes, magiſtratu abire iuſſi ſunt, ut infrà §. Et cùm placuiſſet.*

Sine ſcripto. *Sed quomodo compoſitum fuit ſine ſcripto? Reſpondeo: Scriptum ius dicitur, quod in ipſa promulgatione ſcribi ſolet, adeoq; ex ſcripto recitari, ut autoritas interponatur. Cæterùm, ſi poſtea quidquam fuerit memoriæ cauſa comprehenſum ſcripto, cenſetur nihilominus non ſcriptum. Quemadmodum contractus uel teſtamentum, ſi non ſtatim ab ipſis autoribus, ſed ex interuallo, uel ab alijs in ſcripturam redigatur: dici non poteſt ſcripto conſtare. Id quod mani-*

ſiſtè declaratur per uſus feudorum memoriæ tantùm gratia Mediolani, ſed à Barbaris barbarè deſcriptos.

Propria parte aliqua. *Quandoquidem interpretatio concedebatur prudentibus earum legum, quæ iam latæ fuerant, & ut ad uſum fori eas adcommodarent: non uidebatur inde propria pars iuris conſtituenda.*

Sed communi nomine. *Quidquid enim ſpeciale nomen non habet: id propter uocabulorum inopiam ſub communi nomine manet.*

ARGVMENTVM.

Progreſſum iuris exponit: quomodo per formulas actionum in uarios uſus forenſes ſit paulatim adcommodatum: ut unuſquiſque ius ſuum rectè perſequeretur.

Deinde ex his legibus eodem ferè tempore actiones compoſitæ ſunt, quibus inter ſe hoīes diſceptarent: quas actiones ne populus, ut uellet, inſtitueret: certas ſolennesq́ eſſe uoluerūt: & appellabatͬ hæc pars iuris legis actiones. & ita eodem penè tēpore tria hæc iura nata ſunt: leges duodecim tabularū, ex his fluere cœpit ius ciuile, ex ijſdē legis actiones compoſitæ ſunt.

Eodem ferè tempore. *Sunt'ne ergo actiones ex iure ciuili? Reſpondeo: Minimè gentium: quoniam magiſtratus, obligationes, iudicia, actiones, iure naturali ſimul cohærent. Verùm forma actionum iure ciuili introducta eſt. Ideoq́; dicit:* Compoſitæ ſunt.

Diſceptarent. *Hoc eſt, contenderent potius iure, quàm armis, ut unicuique ſuum ab alieno quaſi ſepe diſtingueretur. Eſt enim frequentatiuum à diſſepio, diſſepire,*

pire, Von einander zaunen.

Quas actiones. *Grauiſſima ratio eſt, quare certa perſequendi, & ſolennis forma fuerit actoribus præſcripta.* Nam *alioqui populus, ut uellet, pro adfectu ſuo, ſine ullo uerborum ordine propoſuiſſet negotij ſeriem, ut neque iudex, neque pars aduerſaria intelligere potuiſſet caput iuris, unde peteretur debitum. Sicut & hodie fieri uidemus in iudicijs longe conſtupratiſſimis.*

*Cæterùm in hoc poſtea erratum eſt: quod nimis apud ueteres anxiè ſolennia quædam uerba introduxerant, quorum ductu in iudicijs ita fuerat experiundum: ut qui uno uerbo erraſſet, is tota cauſa caderet. Quamobrem meritò huiuſmodi uerborum aucupia & decipulæ tolluntur in l.j.C.*De *iur. formul. & impetra.* Non *autem mediocris edendæ actionis ordo prohibetur, ſine quo uerum iudicium conſtare non poteſt. l.j.ff.*De *edend.*

Legis actiones. Hoc *eſt, quæ ſecundum formam à lêge ſunt introductæ. Quare lêgis actio, aliâs in priuato, dicitur permiſſus lêgis ad perſequendum id, quod ſibi debetur: aliâs in magiſtratu uocatur ordinaria poteſtas, uel exequutio iuriſdictionis.*

Priuatim lêge agere, Mit rechte für nemen. Publicè *lêge agere,* Ein ordentlich richter ſein.

Tria hæc iura nata ſunt. *Sicut enim flumina uidemus paruis de fontibus orta: ſic ex modicis xij. tabularum legibus, tam immenſa iuris ſylua ſuccreuit: ut principalibus poſtea reſcriptis, tanquam ſecuribus, truncata fuerit.*

Quid autem hodie de inſulſis Doctorum *ſuperioris ſeculi commentarijs, qui neque legum, neque actionum ueram. interpretationem habent, ſtatuendum ſit,*

res

res ipſa demonſtrat: hoc eſt, laceratus Imperij ſtatus: corrupti mores: lacrymæ uiduarum ac pupillorum: tota deniquæ facies uniuſcuiuſque Reipublicæ.

ARGVMENTVM.

Quemadmodum omnes res præclaræ diligentem requirunt cuſtodiam & adminiſtrationem, ne paſsim rapiantur ab omnibus: ita ius quoque committebatur iis, quos optimos exiſtimabant ad diſtributionem rectè unicuique faciendam.

Omnium tamen harum, & interpretandi ſcientia & actiones, apud collegium Pontificum erant: ex quibus conſtituebatur, quis quoque anno præeſſet priuatus: & populus propè centum annis hac conſuetudine uſus eſt.

Omnium tamen harum. *Legum ſcilicet xij. tabularum atque interpretationum, quas primùm decemuiri, deinde prudentes adiecerunt.*

Interpretandi. *Cùm ſemper dubitationis aliquid euenire poſſet in iure: nullis rectiùs, quàm ſacerdotibus, humanarum rerum interpretationem credendam exiſtimauerunt: utpote quibus diuina committerentur. Cicero in oratione ad Pontifices pro domo ſua.*

Et actiones. *Vt declararent, quam quiſque ex geſto negotio haberet actionem: quo die poſſet eam exercere, ne turbaretur ordo diuinorum. Vtq; nemini liceret actionem intendere, ut competentem, niſi priùs à collegio Pontificum impetraſſet.*

Cùm autem paulatim tali functione ad auaritiam & ambitionem Pontifices abuterentur: tandem ab illis tranſlata fuit dandæ actionis autoritas ad prætores, ſicut

conſtat

conſtat ex l.ij.C. de iuris formul. & impetra. Quia non loquuntur ibi Theodoſius & Valentinianus de impetratione apud Pontifices: quæ dudum abierat: ſed de more, qui tum ex prætoris datione adhuc obſeruabatur.l. Si finita.§. eleganter.ff.de damn.infect.

Præeſſet priuatus. *Non poterant toties conuenire omnes Pontifices ſacris addicti, quoties impetranda erat actio ſingulis haud dubiè momentis. Itaque uni delegabant priuatum hoc negotium, dandæ aut denegandæ actionis. Et is, quia magiſtratum nullum gerebat, ideò ne quis falleretur in hoc, adiecit,* Priuatus.

Centum annis. *Poſt centum uerò annos aliam conſuetudinem receperunt Romani: uidelicet, ut à prætore impetraretur actio, non aliter ferè, quàm antea ſolebat à Pontificibus impetrari. Nam cùm Pontifices paulatim tali functione ad auaritiam & ambitionem abuterentur: tranſlata tandem fuit autoritas concedendæ actionis ad prætores.l. ſi finita.§.eleganter.ff.de damn.infect.*

Vndè conuincitur error illorum, qui ſanctionem Theodoſij & Valentiniani accipiunt de collegio Pontificum, in l.ij. C.de iur.formul.& impetra. Siquidem mos ille decernendarum actionum pontificialis, dudum abierat.

Poſteriores uerò Imperatores pij, cùm nullos exiſtimarent iuſtiores, aut de ſalute populi magis ſolicitos Pontificibus: curam illis de ciuitatibus committebant. Non ut iure magiſtratus quidquam adminiſtrarent: ſed ut magiſtratibus adeſſent conſilio, curarentq; uelut patres, ne quid contra bonum & æquum fieret. Sicut eſt uidere in multis Iuſtiniani nouellis conſtitutionibus.

ARGVMENTVM.

Exponit Pomponius cauſam & ſeriem mutatæ conſuetudinis de impetranda actione.

Poſtea

Poſtea cùm Appius Claudius propo-ſuiſſet, & ad formam redegiſſet has actiones, Cneus Flauius ſcriba eius, libertini filius, ſubreptum librum populo tradidit: & adeò gratum fuit id munus populo, ut tribunus plebis fieret, & ſenator, & ędilis curulis. Hinc liber, qui actiones cõtinet, appellatur ius ciuile Flauianum: ſicut illud, ius ciuile Papyrianum. nam nec Cneus Flauius de ſuo quidquam adiecit libro.

Et ad formam. *Quanquam enim actiones ex legibus xij. tabularum compoſitæ eſſent: multa deſiderabantur tamen, cùm in methodo, tum in reliquis formularum circunſtantijs.*

Appius itaq; Claudius, non ille decemuir, ſed centum amplius annis poſterior, omnes omnium actionum tempora, & obſeruationum ſolennitates propoſuit, & in unum librum per ordinem redegit.

Cneus Flauius. *Nemo clarius hãc hiſtoriam, quàm Cicero explicat pro Murena; Poſſet agi lege nec'ne (inquiens) pauci quondam ſciebant. Faſtos enim uulgò non habebant. Erant in magna potentia, qui conſulebantur, à quibus etiam dies, tanquam à Chaldæis, petebantur. Inuentus eſt ſcriba quidem Cn. Flauius, qui cornicum oculos confixerit, & ſingulis diebus ediſcendos faſtos populo propoſuerit, & ab ipſis cautis iuriſconſultis eorũ ſapientia cõpilarit. Itaq; irati illi, quòd ſunt ueriti, ne dierũ ratione peruulgata, & cognita, ſine ſua opera lẽge poſſet agi, notas quaſdã cõpoſuerũt, ut oĩbus in rebus ipſi intereſſent. Hæc ille. Corniců oculos cõfigere, eſt artẽ (ut dicimus)*

arte

arte ludere, & clauum clauo trudere.

Cogita autem, rogo te per Deum immortalem, num alia fuerit ratio, quare noſtri ſuperioris ſeculi Pontifices, ius ſuum, quod Canonicum uocant, ediderint: quàm ut omnibus rebus ipſi intereſſent?

Scriba. *Non tantùm ſcribendi agilitas, uerumetiam ſolertia, eruditio, & fides ſcribam commendant. Erat enim apud Græcos honorificentiſsimum munus. Vnde Eumenes Philippi regis, & pòſt Alexandri Magni ſcriba dicere ſolebat: Se uitam potiùs poſiturum eſſe, quàm fidem. Romani autem ſcribarum officia uelut mercenaria, non ſic honorabant, teſte Probo Aemylio.*

Libertini filius. *Hæc adijcit, ne quis credat, ex ingenuis ſolùm optimos uiros fuiſſe Reipublicæ natos, non etiam ex libertinis.*

Subreptum librum. *Honeſtiſsimè Cneus hunc librum ſubripuit: quoniam non fuit Appij, ſed populi Romani: cuius utilitatem omnibus modis priuato officio præferre debuit optimus ſcriba.*

Vt tribunus. *Optimo iure populus Romanus uoluit pietatem Cnei erga Rempublicam multis honorum titulis remuneratam uideri: ne ingratitudinis ſeſe nota commacularet apud poſteros.*

Ius ciuile Flauianum. *Adeò ſe populus gratum exhibuit officio ſcribæ: ut titulum libri, non inuido autori, ſed Cneo Reipublicæ amatori nuncuparet. Profectò meretur hoc fides bonorum uirorũ, qui publicæ ſaluti ſtudent.*

De ſuo. *Non enim apud Romanos autor reſpiciebatur: ſed ille potius, qui bene inuenta ad uſum fori accommodaſſet, qua ratione & ius Papyrianum dicebatur: quippe, quòd nulla legum erit utilitas, ſi in literis tantùm conſiſtat,*

conſiſtat,non etiam per ipſa facta atque opera ſubditis utilitatem de ſe præbeant. Nouella. *De prouin.præſidib. Conſtitut.* CLXI.

ARGVMENTVM.

Quomodo actionum formulæ cum ipſis tandem negotiis multiplicatæ ſint, breuiter tradit.

Augeſcente ciuitate, & qui præerant, quædã genera agendi compoſuerunt;nec poſt multũ temporis ſpatiũ Sext. Aelius alias actiones compoſuit; & librum populo dedit,qui appellatur ius Aelianum.

Et qui præerant. *Multitudo populi uarietatem negotiorum peperit. Negotia rurſus noua peculiarem agendi formam deſiderabant.Igitur magiſtratus ſucceſſim proprias quaſdam agendi formulas inuenerunt: nec poſt multum temporis ſpatium Sextus Aelius,uir doctiſſimus alias actiones compoſuit.*

Populo dedit. *Boni enim uiri eſt,in publicum edere, quod publicè profuturum crediderit.*

ARGVMENTVM.

Qua ratione plebiſcita cœperint,explicat.

Deinde cùm eſſet in ciuitate lex duodecim tabularum & ius ciuile, eſſent & legis actiones; euenit, ut plebs in diſcordiam cum patribus perueniret, & ſecederet; ſibiq; iura conſtitueret,quæ blebiſcita uocantur. Mox cùm reuocata eſſet plebs; quia multæ diſcordię naſcebantur de his plebiſcitis:pro legibus placuit & ea obſeruari, lege Ortenſia. Et ita factũ eſt:

ut inter plebiſcita & leges ſpecies conſti-tuendi intereſſet, poteſtas eſſet eadem.

Euenit. *Non ideò euenit, quia ius iſtud triplex in ciuitate eſſet: ſed quòd optima ratione introductū, non obſeruaretur, ut apparebit paulò pòſt in §. Et cùm placuiſſet.*

Et ſecederet. *Quamuis ſeceſſiſſet plebs, nec uellet patrum legibus & imperio uiuere: non poterat tamen ſine magiſtratu & iuris obſeruatione ullam ſocietatem uel concordiam retinere.*

Mox cùm. *Hoc eſt, poſt aliquod temporis interuallum. Nam nō eſt alius huius uerbi modus ſignificandi, quàm qui ſecundum præſentem materiam uidetur idoneus.*

De his plebiſcitis. *Patres enim nō dignabātur autoritate legis ea, quæ non ipſi, ſed plebei tantùm homines, præterea & in ſeditione (ut ipſi putabant) ſtatuiſſent.*

Lege Ortenſia. *Q. Ortenſius dictator legem tulit, ut plebiſcitis omnes Quirites tenerentur, teſte Gellio libro decimoquinto.*

Species. *Hoc eſt, cauſa efficiens. Legem enim tulerat Senatus: plebiſcitum plebs.*

Poteſtas. *Hoc eſt, effectus, ſeu cauſa finalis.*

Certè nihil refert, quibus autoribus bonæ leges ſcribantur: modò Reipublicæ ſuum præſtent officium in formandis hominum moribus. Quinimò & Apoſtolus dicit: Nihil intereſſe, qua tandem occaſione gloria diuini uerbi propagetur.

ARGVMENTVM.

De origine ſenatuſconſultorum diſſerit, quæ tandem neceſſitas dictauit. Et inſinuat tertiam mutationem à Decemuiris rurſus ad conſules.

Deinde quia difficilè plebs conuenire

cœpit

cœpit, populusq́ multò difficilius in tanta turba hominum: neceſsitas ipſa curam Reip. ad ſenatum deduxit. Ita cœpit ſenatus ſe interponere: & quidquid conſtituiſſet, obſeruabatur: idq́ ius appellabatur ſenatuſconſultum.

Conuenire cœpit. *Quandoquidem per rerum naturam difficile eſt, ut plebs in unũ locum conueniat: optima conſequentia eſt argumentari:* Non *faciliter conſentire magnam hominum uniuerſitatem: quia conſenſus præſupponit conuentionẽ naturaliter. l. j. §. j. ff. de pact. & huc reſpiciens Vlpianus in l. ſed & ex dolo. § j. ff. de dol. mal. Quid enim (inquit) municipes dolo facere poſſunt?* Et *in l. j. ff. de libert. uniuerſita.* Mouet *enim (ait) quòd conſentire non poſſunt. Ex contrario Vlpianus in l. metum autem. §. animaduertendum. ff. quod met. cauſ. Et ideò (inquit) ſiue ſingularis ſit perſona, quæ metum intulit, uel populus, uel curia, uel collegium, uel corpus: huic edicto locus erit.*

CONCILIATIO.

Sed ecce: Ius ciuile hîc neq; in totum à iure naturali recedit, neq; per omnia ei ſeruit. Nam in negotijs ciuilibus, ne Reſpublica commodis excludatur politicæ uitæ: cenſetur populus conſentire, agere, acquirere per alium. l. item eorum. §. ſi decuriones. ff. quod cuiuſq. uniuerſi. nomi. Sed hodie (inquit Paulus) hæc omnia per ſyndicos ſolent, ſecundum locorum conſuetudinem, expediri. & in l. j. § fi. ff. de acquir. poſſ. Municipes (ait) per ſe nihil poßidere poſſunt: quia uniuerſi conſentire nõ poſſunt. Sed hoc iure utimur (addit Vlp. in l. ſeq.) ut & poßidere, & uſucapere municipes poßint.

In delictis uerò medium eſt obſeruandum: ut conſide-

rata diligenter qualitate, ſi quid ex uniuerſitate hominum peccetur: neq; minimam pœnam euitet populus, neque maximam incurrat, propter innocentes, iuxta grauiſſimum præceptum l. reſpiciendum. ff. de pœn. Sic intelligi oportet, quòd multitudini ſit parcendum, ne puniatur innocentia: ut probat Auguſtin. j. q. vij. c. Quotiens. & c. diſpenſationes. L. diſtinct. c. ut conſtitueretur. in fi. xliiij. diſtinct. c. commeſſationes. ix. quæſt. j. c. ordinationes. in fin. xxiij. quæſt. iiij. c. ipſa pietas. in fin. & c. non poteſt. De temporib. ordina. cap. ſecundo.

Neceſsitas ipſa. *Emphaſim habet demonſtratiuũ, Ipſa. Nullus enim hominum, ſed duntaxat neceſſitas, quæ contradictionem non admittit, anſam dedit ſenatuſconſultis paulatim inſtituendis. Solet enim multa nos uel inuitos docere neceſſitas, ſicut & exitus ſtultorum magiſter.*

Mirum autẽ quòd nõnulli curioſè inueſtigant, quæ'nam fuerit iſta neceſſitatis ratio: quam utique ſtatim ob oculos uiderent, niſi mentem alijs ineptijs addicerent. Nam cùm immenſa hominum turba Romæ fuerit: per rerum naturam non poterat Reipublicæ per eam in negotijs quotidie incidentibus conſuli: non ſolùm quia difficulter conuocabatur: ſed etiam quòd tanta multitudo nullum habet conſilium, prona ſemper ad diſſenſionem. Nouell. De referendari. ſacr. palat. Conſtit. x i. Vide ſuprà §. poſteà aucta.

Ad ſenatum. *Romulus urbis Romanæ conditor, cùm ciuitatem iam uideret hominum robore munitam, conſilio quoque fulcire eam uoluit. Centum elegit, quos ob honorem Patres, ob ætatem Senatores appellauit. Inde Senatus dictus eſt ordo ille ampliſſimus. Poſteritas ſenatorum, per genituram propagata, Patricij ſunt appellati: quòd à primis ſenatoribus ſeu patribus oriundi erant. Brutus primus*

conſul

conſul, expulſor regum, primores equeſtris ordinis ſenatoribus adſcripſit: inde Patres *conſcripti nominabantur. Senatus haberi ſeu conuocari non potuit: niſi per dictatorem, conſules, prætorem, tribunos plebis, interregem, præfectum urbi.* Nec *alio in loco ſenatus conueniebat, quàm augurato, quæ* Templa *appellabant.* Quare *primùm curia* Hoſtilia*, deinde* Pompeia*, poſtremò* Iulia*, cùm profana eſſent loca, per augures ad hoc ſunt templa conſtituta: ut in ijs iuſta ſenatuſconſulta, more maiorum, fieri poſſent.* Hæc *ex* Feneſtella*, & Gellio libro decimoquarto, cap. ſeptimo.*

Senatuſconſultum. *Forma autem ſenatuſconſulti duplex erat: altera, ut ſinguli ſenatores per conſulem interrogati, dicerent ſententias, quod ſemper de rebus grauiſſimis (modò ſi tempus ferret) fieri ſolebat: altera, ut cùm primus dixiſſet, diſcedens mox in aliquam partem: cæteri tum, qui eiuſdem ſententiæ eſſent, eòdem irent.* Quod *per diſceſſionem appellabatur, & in ſententiám ire, uel,* Pedibus *in ſententiam ire.* Item, *in eandem ſententiam concurrere.*

Intercedere *autem ſenatuſconſulto, hoc eſt, opponere ſeſe tribuni poterant. Cæterùm, intrare curiam tribunis non licebat. Ante ualuas autem poſitis ſubſellijs decreta patrum attentiſſima cura examinabant, ut ſi qua ex ijs improbaſſent, rata eſſe non ſinerent.* Itaque *ueteribus ſenatuſconſultis* T, *litera ſubſcribi ſolebat, eaq́; nota ſignificabatur illa tirbunos quoq; cenſuiſſe.* Valerius *lib. ij. cap. j.*

Obſerua autem diligenter originem & progreſſum iuris ſcripti. I. *Lex xij. tabularum.* II. *Diſputationes Decemuirorum & prudentium forenſes.* III. *Legis actiones: quæ omnia communi appellatione ius ciuile dicuntur.* IIII. Plebiſcita. V. *Senatuſconſulta.* Vide *j. §. ita in ciuitate.* For-

mam ſenatuſconſulti, quo tempore Principes rerum potiebantur, uide in l. item ueniunt. §. Præter hæc multa. ff. de petitio. hæredita.

ARGVMENTVM.

Quibus initiis edicta prætorum cœperint, ob pleniorem iudiciorum expeditionem declarat.

Eodem tēpore & magiſtratus iura red debāt: & ut ſcirent ciues, quod ius de qua re quiſq; dicturus eſſet, ſeq; præmunirent: edicta proponebant, quæ ius honorarium conſtituerūt. Honorarium dicitur, quod ad honorem prætoris uenerat.

Magiſtratus. *Inſinuat Pomponius edicta fuiſſe neceſſaria, quibus in publicum proponerentur ea, quæ ad rem iudiciariam pertinebant.*

Per magiſtratus autem, ſignificat omnes, quibus iudicandi functio commiſſa fuerat: non ut ius conſtituerent, ſed ut, id quod conſtitutum eſſet, dicerent, quaſi uiua uox iuris ciuilis. l. nam & ipſum. ff. de iuſti. & iur. §. prætorum quoque. inſtit. de iur. natura. genti. & ciuil.

Et ideò ſenatus Romanus, qui uelut ſupremum imperij caput, alijs poteſtatem dabat, non ſolebat appellari ſimpliciter magiſtratus. Prætoris tamen autoritas ad condendi iuris faſtigium tandem conſcendit, ut infrius dicetur.

Edicta proponebant. *Hoc in loco ad primam prætorum inſtitutionem reſpexiſſe Pomponius uidetur, loquens tantùm de edictis prout res iudicanda incidebat. Attamen & illa ſunt accipienda, quæ perpetui iuris cauſa proponebantur. l. ſi quis id, quod. in princ. ff. de iuriſdict.*

Edicere autem, eſt decernere aliquid iure magiſtratus: ſiue id iubendo fiat, ſiue uetando, quid refert? Quare Bartolus non

lus non rectè poteſt reprehendi, quòd dixit edictum eſſe genus, interdictum uerò ſpeciem, deſeruiens materiæ in l. j. ff. de nou.oper.nuntiat.

Ad honorem. *Id eſt, magiſtratum prætoris. §. Prætorum quoque.inſtit.de iur.natura.genti.& ciuil. Quia magiſtratui ineſt dignitas: rurſus dignitatem ſequitur honor. Calliſtratus ff. de muneri. & honori. Honor municipalis (inquit) eſt adminiſtratio Reipublicæ cum dignitatis gradu. Quod autem hîc dicit:* Ad honorem Prætoris uenerat, *id alibi clarius exprimens:* Ad honorem, *ait,* Prætorem ſic nominatum *in l. ius autem ciuile.ff.de iuſt.& iur.*

ARGVMENTVM.

Quarta & ultima Romani ſtatus mutatio, à conſulibus, ad unum principem. Quæ monarchia ad nos peruenit.

Nouiſsimè ſicut ad pauciores iuris conſtituendi uia tranſiſſe, ipſis rebus dictantibus, uidebatur: per partes euenit, ut eſſet neceſſe Reipublicæ per unum conſuli. Nam ſenatus non perinde omnes prouincias probè regere poterat. Igitur conſtituto principe: datum eſt ei ius, ut quod conſtituiſſet, ratum eſſet.

Ad pauciores. *Principio populus leges iubebat, ut ſuprà §.j. Deinde, ad Decemuiros eſt translata ferendæ legis poteſtas. Poſtea, ad ſenatum. Nouiſsimè, ad Principem.*

Via. *Hoc eſt, uera & iuſta poteſtas. Nam uia metaphoricῶs ſignificat ueram, atq; iuſto ordine conſtantē docendi rationē, Græcis uocatur methodus: per quā ſine errore*

tutò ueniamus ad cognitionem. Inde methodici ſunt dicti, qui rationem artis & diſcendi compendia ſequuntur. Et Galenus *duas artis partes facit:* Methodon, *&* Aſceſin, *hoc eſt, uiam & exercitationem. Eleganter igitur per uiam hic denotatur legitima poteſtas tradendi iuris.*

Ipſis rebus dictantibus. *Emphaſis eſt in demonſtratiuo,* Ipſis. *Quanquam enim ſenatus populusq́; Romanus reniteretur: rerum tamen & temporis uiciſſitudo uicit omnem hominum poteſtatem & prudentiam. Sicut iam nunc quoque facit.*

Eſt autem pulchra metaphora. Nam ſicut dictari cenſentur ea, quæ non noſtro adfectu, ſed alio præeunte uerba ſcribimus: ita & quæ uiciſſitudo rerum, uolente DEO, *ſuggerit, ea excipimus, & uolentes, nolentes ſequimur: quia natura dictat.*

Per partes. *Hoc eſt, paulatim per ſuccedaneam rerum conſequentiam. Confert enim mutationem condendi iuris, quæ multoties facta eſt, cum poteſtate totius* Imperij *ſemel mutata.*

Vt neceſſe eſſet. *Videlicet, quia* DEVS *ineffabili ſua prouidentia ſic uoluit: tametſi* Pomponius *commentitias quaſdam rationes metu principis adferat.*

Non perinde. *Id eſt, non æquè probè. Scilicet lacerata iam autoritate ſenatus per ambitionē imperij priuatam, cùm quiſque rerum omnium potiri uellet.* Id quod Pomponius *tenuiter inſinuans, non auſus eſt apertius dicere.*

Igitur conſtituto principe. *Quis conſtituit? Certe* DEVS *ipſe. Nam hiſtoriæ ueritas ſic habet: Cùm* Cn. Pompeius, *&* Iulius Cæſar, *bellis feliciter geſtis, magnum haberent exercitum, ac de occupanda tum* Republica *meditarentur: ciuile inter eos bellum dominandi cupiditate*

cœpit

cœpit. Tandem Pompeius repudians omnes à Cæſare oblatas pacis conditiones: in Græcia uictus, & fugiens in Aegypto occiſus eſt. Cæſar autem Romam rediens, rerum omnium potitus, noluit Auguſtus aut Princeps ſalutari: ſed dictatorem ſe fecit, ut in initijs adhuc ſanguinolentis, mitigaret regnandi ſuſpicionem. Tandem à Caßio & Bruto, in Curia Pompeij, xxiij. uulneribus eſt occiſus, idibus Martijs, ab urbe condita DCCX. *ab eiectis regibus* CCCCLXVI. *Poſt mortē Iulij Cæſaris Reſpublica Romana per xij. annos ſub Triumuiris mirum in modum conquaſſata eſt: donec ſolus rerum potiretur C. Cæſar Octauianus, poſtea Auguſtus & pater patriæ à ſenatu ſalutatus. Is Romanam ditionem tranquillitati reſtituit, ut aurea tum ſecula dicerentur: & meritò. Nam poſt cōſulatum eius duodecimum, natus eſt Dei filius Ieſus Chriſtus, ſalutis noſtræ princeps & autor, de uirgine Maria, C. Lentulo Getulico, & M. Meſſalino Coß. Anno ab urbe* DCCLI. *à regibus* DVII.

Deinde, cùm ſtatus Romanæ Reipublicæ ad monarchiā eſſet perductus: euēnit, ut electio Cæſaris aliàs ex autoritate Senatus, ſicut iure debuit, procederet: Aliàs ab exercitu, uel inuito Senatu, Imperator ſalutabatur, & aliquando magna clade.

Ideoq; tandem agente exercitu in Græcia, & Imperatore ſine conſenſu ſenatus acclamato, cœpit Imperij ſedes eò transferri multùm infeliciter, tempore Conſtantini Magni. Romana interim urbe atq; tota propemodum Italia, propter abſentiam principis, incurſu Barbarorū deuaſtata. Nouißimè tempore Leonis IIII. *Pontificis, imperiū Conſtantinopolitanum ad Germanos translatum eſt: ac Carolus Magnus tum Auguſtus deſignabatur.*

 Ne autem

Ne autem de electione in poſterum naſceretur diſcordia, uice ſenatus Romani, *Septemuiri, hoc eſt, ſeptē electores perpetui ſunt conſtituti: uidelicet, rex* Bohemorum. *Archiepiſcopi tres: Maguntinenſis, Treuerenſis, & Colonienſis. Principes item tres: Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ, Marchio Brandeburgenſis. Quo ſtatu (Deo ita uolente) nos hodie utimur.*

Ratum eſſet. *Apparet ergo poteſtatē principis immenſam eſſe. Cùm enim textus dicat:* Vt quod conſtituiſſet, *indefinitè loquens, nihil excludit.*

I. *Eſt lex animata in terris.* Nouell. *De conſuli. in fin.* *Conſtitut.* c v.

II. *Quicquid ſtatuerit aut decreuerit, pro lege ſeruatur. §. ſed & quod principi. Inſtitut. de iure natura. genti. & ciuil.*

III. *Imperator legibus eſt ſolutus: & ſolus leges poteſt condere. l. princeps. ff. de legibus.*

IIII. *Sanctio principis nihil cēſetur habere imperfectū. l. fi. C. qui mili. non poſſ. l. fi. C. de his, quib. ut indig.*

V. *Principis adſertioni creditur in his, quæ in præſentia eius geſta ſunt. c. cùm à uobis. de teſtament.*

VI. *Princeps nulla iuris ſolēnitate adſtringitur. l. apud eum. in fi. ff. de manumiſ.*

VII. *Sola Principis præſentia ſupplet omnem ſolennitatem. l. adoptio. ff. de adopt. l. ij. ff. de reb. cor.*

VIII. *Princeps non tenetur obſeruare ordinem iudiciarium, ſufficiente ſimplici cognitione. c. ad petitionem. in fin. de accuſatio.*

IX. *Remittit infamiam, & reſtituit ad honores. l. j. §. de qua autem. ff. de poſtul. l. j. C. de ſenten. paſſ.*

X. *Largiendo magiſtratum, ſimul etiam tollit impedimentum*

dimentum

dimentum. l. imperialis. §. item omni macula. C. de nupt. l. Barbarius. ff. de offic. prætor. l. quidam conſulebant. in fin. ff. de re iudicat.

XI. *Pœnam ſola uoluntate remittit. l. j. C. de deſertoribus.*

XII. *Princeps cognoſcit de innocentia damnati, ſine appellatione. l j. in fin. ff. de quæſtioni.*

XIII. *A Principe, uelut à ſummo capite, deſcendunt omnes honorum tituli. xix. diſtinct. c. ita dominus. & c. fundamenta. §. j. de electio. lib. vj.*

Hæc omnia tamen ex bono & æquo ſunt intelligenda: ut quantò plus liceat, tam libeat minus: quantò Princeps ſit ſanctior, tantò minus eum deceat à ſacroſanctis legibus recedere. l. digna uox. C. de legibus. Traianus imperator optimus, cùm præfectum prætorio enſe cingeret: Hunc (inquit) enſem, ſi iuſtè imperauero, pro me: ſin autem malè, contra me uelim exerceas. Rex item Ageſilaus, non aliter promiſſa præſtare uoluit, quàm ſi iuſſa eſſent. Quod & Imperator Anaſtaſius conſtituit. in l. fin. C. ſi contra ius uel utilita. public. Breuiter, Princeps cùm cenſetur uiua lex: qui poßit fieri, ut principali retenta dignitate agat contra legem?

Quare illud quoq; colligi ſolet rectißimè: Imperatorem nemini poſſe rem ſuam ſine legitima cauſa auferre, ſicut nec populus poteſt. l. bene à Zenone. C. de quadrien. præſcriptio. l. toties. §. fin. ff. de pollicita. l. ſi priuatus. in princ. ff. qui & à quibus manu.

ARGVMENTVM.

Epilogus eſt, quo uelut in faſcem contrahit totum iuris progreſſum, ab origine uſque ad monarchiam imperii.

Ita in ciuitate noſtra aut iure, id eſt, lege

conſtit

conſtituitur;aut eſt proprium ius ciuile, quod ſine ſcripto in ſola prudentiũ interpretatione conſiſtit, aut ſunt legis actiones, quæ formam agendi continent; aut plebiſcitum,quod ſine autoritate patrum eſt conſtitutũ;aut eſt magiſtratuũ edictũ, unde ius honorariũ naſcitur;aut ſenatusconſultũ,quod ſolum ſenatu conſtituente inducitur ſine lege; aut eſt principalis conſtitutio, id eſt, ut quod ipſe princeps conſtituit,pro lege ſeruetur.

Id eſt,lege. *Scilicet,duodecim tabularum.*

Conſtituitur. *Hoc eſt,politia formatur, & ad bonam ordinationem perducitur.*

Sine lege. *Hoc eſt, ſine rogatione ad populum, per quam lex ferri ſolet.*

PERORATIO.

H*Actenus intellexiſti, optime lector,non ſolùm inconuincibiles rationes: uerùm etiam certiſsima* Romano*rum exempla, quibus probatur, fieri non poſſe, ac per rerum naturam impoſsibile cenſeri:quòd ulla politiæ pars, ne dicam totus* Reipublicæ *ſtatus,poßit ad puriorem perduci conditionem: niſi priſtina tradendi iuris & conſtans ratio prius reſtituatur tam in ſcholis, quàm in foro.* Neque *uerò ardui negotij eſt, certum præſcribere modum, ſecundum quem primum ciuilis diſciplina ſtudioſè iuuentuti proponatur: deinde per eos ſuo tempore adminiſtretur omnibus implorantibus.* Q*uid enim obſtat, quò minus hoc tempore fiat idem, quod apud* Romanos *olim*

magna cum laude factum eſt? Cur non Imperator noſter Auguſtus id efficiat immortali nominis ſui cõmendatione, quod Iuſtinianus quondam repetitis conſtitutionibus adſecutus eſt aliquandiu? Quare non experiantur noſtri proceres hodie, quãtum reparatio iuris adlatura ſit commodum: quando multis iam annis ſenſerunt, quantam attulerit calamitatem neglectus legum, barbaries, & inconſtantia? Eſt'ne audendum in re tam ſalutari: præſertim, diuino prælucente uerbo? Interim audiamus ſecundum caput huius hiſtoriæ De magiſtratibus & iudiciaria functione.

FINIS CAPITIS PRIMI.

CAPVT SECVNDVM, DE MAGISTRATIBVS.

ARGVMENTVM.

Optima methodus eſt, & iuſta tractandi ratio, ut cognita politiæ cauſa, quæ dependet ex iure: procedatur ad effectum, quem magiſtratuum ordines exhibent Reipublicæ.

POST originem iuris & proceſſum cognitum, conſequẽs eſt, ut de magiſtratuũ nominibus & origine cognoſcamus: quia (ut expoſuimus) per eos, qui iuri dicundo pręſunt, effectus rei accipitur. Parum eſt enim ius in ciuitate eſſe, niſi ſint, qui iura reddere poſſint. Pòſt deinde de autorum ſucceſsione dicemus: quòd conſtare nõ poſsit ius, niſi ſit aliquis iuriſperitus, per quem poſsit

quotidie in melius produci.

Conſequens eſt. *Videlicet, natura ductũ, ut ſeqtur.*

Nominibus & origine. *Non enim ſatis eſt ſtudioſæ iuuentuti, ut nomenclaturam duntaxat magiſtratuum teneat: niſi rem quoq; ipſam, hoc eſt, originem eorum atque mutationem intellexerit.*

Quia. *Hæc eſt ratio naturalis conſequentiæ.*

(Vt expoſuimus) *Declarando ſcilicet originem & proceſſum iuris in hac lege.*

Effectus rei accipitur. *Alioquin uana eſſet cauſa, quæ nullum haberet effectum, præſertim in foro.*

In ciuitate. *Ciuitas hoc loci pro toto Romani imperij orbe accipitur. Nam ubiuis gentium obtinet iſta naturæ conſequentia: quòd cùm ſine magiſtratibus ius non poßit ſortiri effectum, ſemper in reparanda ciuili politia, præcedere oportet ciuilis diſciplinæ reſtaurationem, ſi fortè luxata fuerit. Cicero pro P. Sylla urbem Romanam appellat ſtatam orbis terræ. Quid autẽ ſit ciuitas, uide ſuprà.*

Eſſe. *Videlicet ſcriptis comprehenſum.*

Qui iura reddere poſsint. *Hoc eſt, qui id, quod rectè conſtitutum eſt, adcõmodent ad uſum humanæ ſocietatis, & adminiſtrent implorantibus.*

Itaque multùm diſtant: Ius eſſe, &, Ius reddi. Item, Ius ſcribi, &, Ius obſeruari. Primùm enim ius rectè conſtituendum eſt: deinde, iuri conſtituto rectè obtemperandum, ut definit Ariſtoteles Politico. iiij. Iſocrates: Atqui ciuitates (inquit) recta Reipublicæ ratione conſtitutas, haudquaquam porticus ſcriptorum plenas habere: ſed in animis potius condita iura tenere expedit. Neq; uerò decretorum redundanti copia, ſed compoſitione morum præclarè urbes habitantur. Iuſtinianus Nouella, De prouincia.

præſidib.

*præſid:b.Conſtitu.*c l x i. *Quæ enim legum (inquit) erit utilitas, ſi in literis duntaxat conſiſtant, non etiam per ipſa facta atq; opera ſubditis utilitatem de ſe præbeant?*

Hac tempeſtate neq; ius eſt, neq; redditur ſecundum rectam rationem. Ampliſsima quidem extat legum ſylua. Imperium autem auguſtiſsimum, ut dixit ille.

De autorum. *Hoc eſt, prudentium, qui in arte boni & æqui uelut duces erant Romæ.*

Conſtare. *Etiam ſi principio bene ſit introductum.*

In melius produci. *Videlicet, applicando perſonis & rebus ſecundum qualitatẽ temporis. Poteſt enim hodie iuſtum eſſe, quod deinceps ſi obſeruetur, iniquiſsimũ fuerit. Varietas enim humanorum negotiorum non ſinit conſtantem ſemper manere ciuilem ſanctionem.* Nouell. *de reſtitutio. in princ. Conſtitut.* x x x i x. *Et, de reis, qui ingrediunt, ad expedien. appel. in princ. Conſtitu.* l. *Ad hoc ergo requiritur iuriſperitus, qui artem illam boni & æqui calleat, experientia multarum rerum edoctus.*

ARGVMENTVM.

Primus Romanæ ciuitatis ſtatus cœpit è monarchia: in quo rei militaris etiam diligenter eſt habita ratio.

Quod ad magiſtratus attinet: initio ciuitatis huius cõſtat reges omnẽ poteſtatem habuiſſe. Iiſdẽ tẽporibus & tribunũ celerũ fuiſſe cõſtat. Is autem equitibus præerat, & ueluti ſecundũ locũ à regibus obtinebat: quo in numero fuit Iunius Brutus, qui autor fuit regis eijciendi.

Magiſtratus. *Hoc eſt, politiã, quæ ab Ariſtotele definitur principatus & rerũ cõſuetudo, ſecundùm quam uiuere*

uere unumquenq; & conuerſari decet.

Politia autem eſt triplex: quia aut unus gubernat Rempublicā, aut plures, aut omnes. Si unus, & ille bonus, monarchia, ſeu regnum cenſetur. Si malus, tyrānus. Si uerò plures regnant, & boni, ariſtocratia eſt. Si mali, ochlocratia. Si deniq; omnes imperant, & bene, democratia: hoc eſt, popularis principatus dicitur. Sin malè, ſeditio.

Omnem poteſtatē. *Superius dixit:* Omniáq; manu regis gubernabantur.

Tribunum celerum. *Romulus enim equites elegit, qui propter inſignem pugnandi celeritatem, etiam pedeſtri, cùm neceßitas exigeret, certamine, dicti ſunt celeres. Et qui his iura tribuebant: hi meritò tribuni appellabantur. Veriſimilius enim eſt id, quod Vegetius à tribuendo iure militari hanc appellationem deductam eſſe tradit, ſicut militia reliquis ferè dignitatum nominibus cauſam dedit in hodiernum diem. Vt Marchio, ab equis, Dux, à ducendo exercitu.*

A regibus. *Hoc eſt, poſt reges. Sic dicimus à partu, à funere.*

Regis eijciendi. *Tarquinij ſuperbi. Vide ſuprà §. exactis deinde regibus.*

ARGVMENTVM.

Secũdus Reipublicæ Romanæ ſtatus fuit ariſtocratia. Mutatũ enim eſt regnũ unius in pluriũ, hoc eſt, in conſulare imperiũ.

Exactis deinde regibus, cõſules cõſtituti ſunt duo: penes quos ſummũ ius uti eſſet, lege rogatũ eſt. Dicti ab eo, q̃ plurimũ Reipublicæ cõſulerent. Qui tamē ne p omnia regiā poteſtatē ſibi uindicarent: lege

lege lata factum eſt, ut ab eis prouocatio eſſet, ne'ue poſſent in caput ciuis Romani animaduertere iniuſſu populi: ſolùm relictum eſt illis, ut coërcere poſſent, & in uincula publica duci iuberent.

Exactis deinde regibus. *Hoc eſt, tota prorſus regum poteſtate ac conditione ſemota.*

Conſules conſtituti ſunt duo. *Videlicet, Iunius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus, Anno ab urbe condita* CCXLV.

Summum ius uti eſſet. *Non enim tanta Reſpublica ſine iuſto magiſtratu conſtare potuit.*

Lege rogatum eſt. *Hoc eſt ſolenniter decretum. Forma enim legis rogandæ hæc erat: Primùm, deliberabatur à ſenatu conſultante, num utilis eſſet lex tum ferenda: deinde, ſi è Republica uidebatur, proponi ſolebat populo tribus nundinis: tertio autem nundinarum foro rogabatur populus à conſule, hoc eſt, interrogabatur: an id placeret, quod patres ſtatuiſſent? Cicero pro Flacco: O morem (inquit) præclarum diſciplinamq́;, quam à maioribus accepimus, ſi quidem teneremus: ſed neſcio quomodo iam de manibus elabitur. Nullam illi noſtri ſapientiſsimi, & ſanctiſsimi uiri uim concionis eſſe uoluerunt. Quæ ſciſceret plebs, aut quæ populus iuberet, ſummota concione, diſtributis partibus, tributim & centuriatim deſcriptis ordinibus, claßibus, ætatibus, auditis autoribus, re multos dies promulgata & cognita, iuberi uetariq́; uoluerunt.*

Hinc apparet differentia inter promulgationem, & rogationem. Promulgatio fiebat binis nundinis: rogatio in tertijs nundinis. Promulgationi item intercedere licet at: rogationi

tioni nullo modo. Inde rogatio pro lêge accipitur. Cicero Philip. 1. *Hodie uocem hanc,* Promulgare, *tenemus quidem,quanquam non ſatis intellectam:rei uerò ipſius,ne umbram quidem ſequimur.*

Conſulerent. *Grauiſsima ratione dicti ſunt à conſulendo : ut officij ſui ipſa quoque ui nominis admonerentur : quippe conſulendi cauſa ſeſe uelut patres electos eſſe pro regibus.*

Per omnia. *Alioquin pleraque habebant conſules initio cum regibus communia.* I. *Summum imperandi ius.* II. *Eoſdem faſces,ſcilicet ſecures adligatis uirgis.* III. *Parem animaduertendi poteſtatem.Sed hæc diminuta nonnihil fuiſſe inſinuat.*

Lege lata. *Hanc legem tulit P. Valerius Publicola,qui in locum L. Iunij Bruti ſuffectus eſt.Et deinde ſequenti anno, cum T. Lucretio Tricipitino conſul ordinarius, teſte Liuio lib.* 2.

Animaduertere. *Hoc eſt,ne quem capitis ſupplicio punirent.Itaq; & ſecures hac lege conſulibus adempti ſunt.*

Et obſerua minorem fuiſſe conſulum, quàm regum poteſtatem. I. *Reges erant perpetui : conſules uerò annui.* II. *A' regibus non facile prouocabatur:cùm id liceret à conſulibus.* III. *Reges puniebant ſummo ſupplicio : quod conſulibus ſine iuſſu populi negabatur.*

Duci iuberent. *Propriè ducuntur uolentes , unde etiã dux dicitur.Trahuntur nolentes.Seneca : Fata uolentem ducunt,nolentem trahunt. Aliâs ducere eſt,iudicare, exiſtimare.Cicero:Ego ſi mei commodi rationem ducerem,te mecum eſſe maximè uellem. Aliâs ſignificat ducere ad ſupplicium,uel ad cuſtodiam carceris, ut hîc. Et ita nonnunquam abſolutè ponitur. Vt Hermolaus ad Alexandrum : Nos (inquit)*

quit) duci iube.

ARGVMENTVM.

De cenſoribus tractat, quorum initio munus ad pecuniarias res pertinere uidebatur: poſtea tamen ad mores quoque porrectū fuit.

Pòſt deinde cùm ſenſus iam maiore tē pore agendus eſſet, & conſules non ſuffiecerēt huic officio, cenſores cōſtituti ſunt.

Pòſt deinde. *Sæpe utimur huiuſmodi duplicatis uocibus: Pòſt deinde, Iam inde, Iam nunc.*

Cùm cenſus. *Cenſum agere, eſt deſcribere ac æſtimare ſubditos profitentes, & capita, & patrimonia ſua iuratò.*

Maiore tempore. *Antea minore tempore, hoc eſt, rarius ſolebat cenſus agi. Primùm enim Romulus deſcripſit nomina ciuium Romanorum octingenta quatuor millium ſeptingentorumq́; deinde Publius Valerius Publicola, & T. Lucretius Tricipitinus coß. cenſum egerunt. Aliquot igitur annis populus manſit incenſus, hoc eſt, ſine ulla deſcriptione ciuium, liber à contributione extraordinaria. Verùm imminentibus iam bellis, neceßitas grauißimorum ſumptuum exegit cenſum crebriùs agi.*

Non ſufficerent. *Vtpote, arduis bellorum atque rerum ciuilium negotijs diſtenti. Alioquin & autoritate, & induſtria eos ſuffeciſſe, hoc eſt, idoneos fuiſſe, quis dubitat?*

Cenſores. *Papyrius & Sempronius. Dicti autem ſunt ab eo, quòd arbitratores eſſent rerum & bonorum, quæ ciues profiterentur: quantum ex his unumquemq́; publicæ neceßitati contribuere oporteret. Cenſere enim pro æſtimare accipitur.*

Memorabilis eſt illa deſcriptio uniuerſi orbis, quam Auguſtus Cæſar edixit:cuius mentio fit,Lucæ ij.Quo tẽpore P. Sulpitius Quirinius,primũ conſul cũ M.Valerio Meſſala II. Deinde cõſularis miſſus eſt præfectus in Syriã cenſui agẽdo.

Cenſores autem,quanquam initio bonorum eſſent æſtimatores: poſteriore tamen tempore cœperunt etiam magiſtri morum eſſe,multo maiore fructu,quàm cùm pecunias corraderent.Plutarchus in Aemylio:Cenſura (inquit) maximè omnium magiſtratuum reuerentiæ, plurimæ poteſtatis cum in alijs rebus,tum maximè ad morum emendationem. Nam ſenatores è ſenatu remouere poteſt:equitibus equos adimere,ex plebeis ærarios facere, notare infamia,cenſum agere, luſtrum condere.Erant autem duo cenſores,qui quinto quoque anno creabantur.Hoc tempore nullus in Republica magiſtratus magis deſiderari uidetur, quàm cenſoris, cuius tamen ne umbra quidem extat.

ARGVMENTVM.

De dictatore diſſerit, qui à conſule dicebatur, ut eius dicto audientes eſſent omnes. Creabantur enim uiua uoce,non per ſuffragia:poteſtate quidem maxima,ſed tamen extra ordinem,imminente graui rerum neceſsitate,cui unius imperantis arbitrium ob commodam celeritatem opponendum uidebatur.

Populo deinde aucto, cùm crebra orerentur bella,& quædam acriora à finitimis inferrẽtur:interdum re exigente,placuit maioris poteſtatis magiſtratum conſtitui.Itaq; dictatores proditi ſunt,à quibus nec prouocãdi ius fuit,& quibus etiã capitis animaduerſio data eſt. Hunc magiſtratum, quoniã ſummam poteſtatem

habeb

habebat:non erat fas ultra ſextum menſem retinere. Et his dictatoribus magiſtri equitum iungebantur:ſic quo modo regibus tribuni celerum:quod officium ferè tale erat,quale hodie præfectorum prætorio.Magiſtratus enim habebantur.

Populo deinde aucto. *Ecce ſaluberrimum iuris effectum.Nam compoſita bene uiuendi ratio,& obſeruatio legum in Republica,ſolet augere populum:& frequentia populi ſolet amplificare imperia. Incipiendum ergo eſt in omni Republica conſilium à recta traditione iuris.*

Orerentur bella. *Non quòd auctus eſſet populus: ſed quia cum populo augebantur ditiones Romanæ quoquo uerſus.Cum ditionibus autem naſcebantur bella. Nunquam enim ſine bellis creſcunt regna.Habet ſemper imperij gloria comitem inuidiam.*

Acriora.*Maximum enim uicinorum bella adferre ſolent periculum,propter lædendi commoditatem.Ideoq́; ſæpe confines fundos etiam ſupra iuſtam æſtimationem intereſt noſtra adquirere,dicit Terentius Clemens,haud dubiè inſinuans malam uicinitatem,eſſe pernicioſum damnum, in l. Si cui fundus.ff.de legat.ij. Et Caius in,l. Quod ſæpe.§.fin.ff. de contrahen.emptio.Si quis (ait) in uendendo prædio confinem celauerit, quem emptor ſi audiſſet,empturus nō eſſet: teneri uenditorem dicimus,*x l i i i i.*Dinſtinct.c.j. Pomponius in,l.Si ita teſtamento.§.ſi ff.de inſtruct.uel inſtru.legat. Par enim(inquit)ratio eſt.Nam deſiderant tam uillæ, quàm agri cuſtodiam:illic,ne quid uicini:aut agri,aut fructuum occupent: hic ne quid cæterarum rerum, quæ in uilla continentur.*

Hac ratione limitanei milites olim introducti ſunt, qui ſub limunarcha, hoc eſt, præfecto limitis, prouinciæ terminos tuerentur. l. muncrum ciuilium. ff. de muner. & hon. l. quas Deo. C. *de offi. præt.* Afric. *Et limitrophi fundi erāt, quorum poſſeſſores annonam tenebantur ducere ad caſtra militum limitaneorum, ut* C. *de fund. limitr.*

Maioris poteſtatis. *Sed quomodo poterat magiſtratus eſſe maioris poteſtatis, cùm & haberent conſules ſummum ius imperandi?* Reſpondeo: *Reſpicit ad poſteriora tempora, quibus detractum fuit conſulari poteſtati, ut ab eis prouocaretur, ne punirent capite, ne uterentur faſcibus, ut ſuprà §. exactis deinde.*

Et obſerua, Romanos olim fuiſſe expertos, non poſſe res arduas in republica commodè expediri, ubi non ſit iuſta poteſtas in magiſtratu ſummo, & recta ſubditorum obtemperatio in membris. Quod nobis eſſe debet exemplo hiſce temporibus.

Itaq; dictatores. A' *dictando dicti. Nam & à conſule dicebantur, & eorū dicto audientes erant omnes. Porrò dictare frequentatiuum eſt à dico.*

Proditi ſunt. *Hoc eſt, introducti ſunt, uelut magiſtratus extraordinarius. Ideoq; dicit:* Interdum re exigente. *Nam non alio pacto creari ſolebant, quàm cùm uis aliqua maior repente oborta, ingentem urbi cladem minitari uideretur. Teſtes* Liuius *lib. 2. &* Feneſtella.

Primus dictator fuit T. *Largius* Flauius, *qui fuit conſul cū* Poſthumio Comunio Aurunio. *Ab urbe anno* CCLIII. A' *regibus anno* IX.

Summam poteſtatem. *Hoc eſt, per omnia regiam dominationem, ſolo nomine excepto. Eamq; ob rem dictator dicebatur magiſter ciuium, autore* Varrone. *Et per imitationem*

nem

nem antiquitatis haud dubiè factum eſt, ut primarij inter decuriones noſtros, iam nunc quoque magiſtri ciuium appellentur, Burgermeiſter.

Non erat fas. *Apud Thebanos morte mulctabatur, ſi quis imperium diutius tenuiſſet, quàm lege præfinitum erat, teſte Aemilio Probo. Ariſtoteles Politico. lib.5. conſulit, maximos magiſtratus aut non dari, aut ſi dentur, ut non ſint diuturni. Plato addit rationem. Nam quæ ſupra modum elata ſunt, laſciuere ſolent. Mamercius item apud Liuium adſerit: maximam libertatis cuſtodiam eſſe, ſi magna imperia diuturna non eſſent: ut quibus pro magiſtratus magnitudine modus lege imponi nõ poſſet: ijs tempore imponeretur.*

Primus autem Tyberius Cæſar officia cœpit cõtinuare, nonnullis ad finem uitæ relictis in adminiſtrationibus & præfecturis. Tacitus lib.1. Deinde ſecuti ſunt alij Imperatores eius exemplum paßim: donec perueniretur ad beneficia ſeu feuda.

Magiſtri equitum. *Abolito enim prorſus regio nomine, admodum inuiſo: noluerunt dici tribunos celerum, ne quid reliquiarum ex regia dominatione maneret. Ideò magiſtros equitum nominabant, uariato nomine, cùm tamen res eadem eſſet.*

Præfectorum prætorio. *De quibus infrà extat* Tit.

Animaduertendum autem eſt: quanta olim ſolicitudine ſub ipſo ſtatim initio imperij, res militaris fuerit ordinata. Primùm, quàm magna deliberatione ſuſcipiendum bellum eſſet, tantum illud, quod naturali defenſione poſſet iuſtificari aduerſus finitimorum atrocem iniuriam: deinde, ne à quibuſuis temere conſcriberetur miles, eſſentq́;

ad hoc deſignati magiſtratus, qui ordinaria poteſtate atq; diligentia, rem tantam ex animi iudicio recte conficerent: poſtremò, ut unuſquiſq; intelligeret, nemini conceſſam eſſe belli gerendi poteſtatem ſine autoritate publica, quæ nihil aliud, quàm totius imperij ſalutem reſpiceret.

Eam ob rem recte quondam appellatum eſt Ius *militare, quod & ipſum quanquam in armis uerſaretur, & ui exercendum eſſet: nihilò tamen minus haberet rationem iuſtitiæ, ſecundum quam ſuſciperetur, & ſuſceptum procederet. Quò reſpexit* Iuſtinianus *in proœmio* Inſtit. *quum dicit:*

Imperatoriam maieſtatem non ſolùm armis decoratam: ſed etiam legibus oportet eſſe armatam. *Et extat,* Tit. *ff. de re militari.*

Noſtrum autem ſeculum, an uel umbram militaris diſciplinæ obſeruet in huiuſmodi capitibus: nulla orationis ui poteſt euidentius declarari, quàm ipſa tandem res, quotidianæ item ſubditorum lacrymæ, & totius Imperij *ſtatus nobis ob oculos proponunt. Sed quid tum poſtea? Si ſolem in manibus geſtes, non conciliabis tibi apud pleroſq; fidem aduerſus receptos errores.* Dic *tamen ueritatem, & ſeruabis animam tuam.*

ARGVMENTVM.

De tribunis plebis, quorum magiſtratus intolerabili patrum potentiæ tandem opponebatur: ut ius atq; iudicia rectè conſeruarentur: de ædilibus item tractat, qui magiſtratus omnium erat initio minimus.

Iiſdẽ tẽporibus cùm plebs à patribus ſe ceſsiſſet, anno ferè ſeptimodecimo poſt reges exactos: tribunos ſibi in monte ſacro creauit, ꝗ eſſent plebei magiſtratus. Dicti tribuni, quòd olim in tres partes populus

diuiſ

diuiſus erat, & ex ſingulis ſinguli creabātur: uel quia tribuum ſuffragio creabantur. Itēq; ut eſſent, qui ædibus præeſſent, in quibus omnia ſcita plebs deferebat: duos ex plebe conſtituerunt, qui etiam ædiles appellati ſunt.

Seceſsiſſet. *Duas plebis seceßiones fuiſſe, Liuius teſtatur libro ij. & iij.*

Altera facta eſt anno poſt exactos reges XVII. *Ab urbe uerò condita* CCLXI. *Coſ. Poſtumio Cominio Aurunio* II. *& Sp. Caßio Vicelino* II. *Per hanc plebs à patribus extorſit, ut duo tribuni plebei crearentur ſacroſancti, quibus auxilij latio aduerſus conſules eſſet: de qua loquitur hîc. Altera ſeceßio plebis euênit anno à regibus* LX. *Ab urbe* CCCIIII. *teſte Cicerone de finib. lib. ij. Per quam plebs Tribunitiam poteſtatem, prouocationemq; ad populum per decemuiros ademptam repetijt, & alia quædam ſibi uindicauit, de qua loquitur in, §. Et cùm placuiſſet. Et ſuprà §. Exactis deinde regibus, quum dicit:* Lege tribunitia omnes leges hæ exoleuerunt.

Errat igitur Accurſius, ex d. §. Exactis deinde regibus. opponēs uerba hæc: Idq; propè uiginti annis paſſus eſt. Si *enim populus uiginti annis in bona tranquillitate paſſus eſt omnia: miratur quomodo procedat, quod hîc dicit, anno ferè decimoſeptimo plebem à patribus seceſſiſſe: ignorans Pomponium nunc loqui de tempore prioris à patribus ſeceßionis. Verùm, ſi ad poſteriorem reſpicias ſeceßionem, facilè conſtabit populum uiginti annis incerto iure, ſine turbatione, uſum.*

Plebei magiſtratus. *Hoc eſt, qui plebem in libertate ſua defenderent aduerſus potentiorum iniuriam: quorum ædes die noctuq; patebant.*

Dicti tribuni. *Non eſt enim nouum, quòd unius uocabuli multæ ſint rationes, à diuerſis cauſis ductæ.*

In tres partes. *Videlicet, Tatienſium, à Tatio Sabinorum rege: Ramnium, ſiue Ramnenſium, à Romulo: Lucerum, à Lucumone.*

Tribuum. *A tributo dando tribus dicuntur, Eyne außteylung des uolcks. Cùm populi cōfuſa multitudo, propter tributum in ordinem redigitur.*

Suffragio. *Hoc eſt, uoce illa, qua unuſquiſque declarat ſuam uoluntatem de aliquo ad magiſtratum eligendo.*

Obſerua autē, quòd omnes, quæ adſerūtur de nomine Tribuni, rationes, fructū aliquē habēt. I. A ſingulis tribubus appellatio, explicat cauſam efficientē. II. A ſuffragio, declarat formam. III. A tribuendo, ſecundum Varronem, exponit finem, ad quid creati fuerint tribuni, nempe ut ius tribuerent illis quibus præficiebantur.

Omnia ſcita. *Hoc eſt, plebeia ſtatuta. Placuit autem & patribus iſtud inſtitutum adeò, ut Marco Horatio Barbato, & L. Valerio Potito coſſ. anno ab urbe CCCV. à regibus LXI. decernerent: ſenatuſconſulta quoq; ad ædiles plebis, in ædem Cereris deferenda eſſe, quæ antea apud conſules nonnunquam ſupprimebantur.*

Aediles autē, quoniā duntaxat in ædibus ſacris, hoc eſt, Cereris repoſita cuſtodiebāt: inter minimos magiſtratus habebantur. Quare adoleſcentibus ferè ad hoc officiū deſignatis, primus erat gradus ad maiores honores, teſte Cicerone De legib. lib. 2. Ideoq; non numerantur inter magiſtratus in l. ij. ff. de in ius uocan. Impunè enim uocabantur in ius.

l. Lect

Lectos.Et l.ſeq.ff.De peric.& commod.rei uendit.

Cœpit autē ædilium autoritas creſcere, cùm ex patribus fierent, ut §.deinde cùm placuiſſet. Et §.prætorum quoque. inſtit.De iur.natura.genti.& ciuil.

De his ædilibus tractat l.j.ff.de ædil.edict.l. Lectos.ff.de peric.& commod.rei uendit. Vlpianus in l. Item quæritur. ff.locat.Si quis(inquit) menſuras conduxerit, eaſq; frangi magiſtratus iuſſerit.

ARGVMENTVM.

De quæſtoribus duplicis generis tractat: quibus alios addit Vlpianus infrà, De officio quæſtoris.

Deinde cùm ærarium populi auctius eſſe cœpiſſet: qui illi præeſſent conſtituti ſunt quæſtores: dicti ab eo, quòd inquirẽ- dę & cõſeruãdę pecunię cauſa creati erãt.

Deinde cùm ærarium. *Superius dixit cẽſum iam maiore tempore actum, populumq; auctum fuiſſe: neceſſariò proinde ſequitur ærarium quoq; populi auctius eſſe cœpiſſe.*

Aerarium. *Sic dictum, quòd æra, hoc eſt, numi principaliter inferebantur, Quanquam & aliæ res pretioſæ atque opes in ærario reponi ſolebant. Aes enim æris, quod pluralem quoque numerum habet, æra, æribus: quamuis generaliter omne metallum ſignificat: tamen frequenter pro pecunia accipitur. Et unde transfertur ad debitum: ut æs alienum, Geltſchuldt. Vlpianus etiam aureos numos (inquit) æs dicimus. ff.de uerb.ſignifi.*

Initio æs non ſignatum ponderabatur, ſicut nunc pecuniam numeramus. Seruius rex poſt urbem conditam primus ſignare cœpit æs: in altera quidem parte imagine Iani gemini, in altera uerò roſtro nauis.

Aes noſtrum,quod nobis debetur.In ære noſtro eſſe,pro, In bonis noſtris eſſe, Cicero *etiam de amicis dixit. In ære nullo eſſe, pro nihil debere. Aes alienum contrahere, uel conflare.Aes alienum meum,hoc eſt,quod ego contraxi.oppo.Aes alienum diſſoluere,uel exonerare.*

Aes circumforaneum,pecunia ad uſuras accepta. Aerarium antiquius uocabulum eſt, quàm fiſcus, Ein ſchatzkamer. *Aerarium ſanctius,ex quo non niſi in maxima neceſſitate pecunia depromebatur.*

Quæſtores. *Horum antiquiſſimam fuiſſe originem, extra dubitationem eſt. quia nihil prius apud homines cœpit,quàm cura inquirendæ ac conſeruandæ pecuniæ:propter inhærentem auaritiam.l.j.in princ.ff.de offici.quæſto.*

Quæſtorum autem officium indies latius eſt propagatum,ſicut omnium ferè magiſtratuum.Vnde & legatos Ro*mam uenientes excipiebant honorificè.*

Non hodie rectè appellauerimus præfectos ærarios: uel tribunos ærarios,qui uulgò theſaurarij,aut alio nomine uocantur.Olim item ærarij ſine adiuncto, dicebantur, qui propter delictum à cenſoribus ea contumelia adficiebantur, ut ciuium numero exempti,pro capite tantùm ſuo æris aliquid penderent,autore Aſconio.

ARGVMENTVM.

Continuatio eſt eius, quod ſuprà de conſulibus cœpit dicere.

Et quia(ut diximus)de capite ciuis Romani iniuſſu populi non erat lege permiſſum conſulibus ius dicere: propterea quæſtores conſtituebantur à populo,qui capitalibus rebus præeſſent:hiq; appella-

bant

bātur quæſtores paricidij, quorum etiam meminit lex duodecim tabularum.

Vt diximus. *Suprà, §. Exactis deinde regibus.*

Ius dicere. *Et interim tamen ſine animaduerſione capitali in facinoroſos, non poterat publica pax conſtare.*

Quæſtores paricidij. *A quærendis maleficijs, inter quæ frequens admodum eſt paricidium, hoc eſt, homicidium. Aliâs de eo dicitur, qui patrem occidit. Vt, ff. ad leg. Pompe. de parici. Nam poteſt hoc uerbum deduci tam à pari, quàm à patre, autore Priſciano. Vulgò nunc Inquiſitores dicimus.*

Lex duodecim tabularum. *Ne quis fortè putaret, nouum à Romanis magiſtratum (ſicut pleroſq; alios) introductum fuiſſe.*

ARGVMENTVM.

Horrendum atque omnibus ſeculis memorabile ſcribit exemplum, de nimia decemuirorum & crudeli dominatione: quæ tandem tantæ ſeditioni, quanta nullo unquam tempore apud Romanos fuit, anſam præbuit ob iniuſtam Appii Claudii ſententiā. Tam pernicioſa res eſt iniquitas in magiſtratu.

Et cùm placuiſſet leges quoque ferri: latum eſt ad populū, ut omnes magiſtratus ſe abdicarent: & decem uiri conſtituti ſunt anno uno. Hi cùm magiſtratū prorogarent ſibi, & rem inuidioſe tractarent, neq; uellent deinceps ſufficere magiſtratus, ut ipſi & factio ſua perpetuò Rempublicam occuputam retinerent: nimia atq; aſpera dominatione eò Rempublicā perduxerūt, ut exercitus à Republica ſecederent.

rent. Initiũ fuiſſe ſeceſsionis dicit̃ Verginius quidã;q cùm aĩaduertiſſet, Appium Claudiũ cõtra ius, quod ipſe ex uetere iure in duodecim tabularũ trãſtulerat, uindicias filiæ ſuæ à ſe abdixiſſe; & ſecundum eũ, qui ab eo ſuppoſitus, in ſeruitutem petierat, dixiſſe; captumq́ amore uirginis omne fas ac nefas miſcuiſſe: indignatus, quòd uetuſtiſsima iuris obſeruãtia in perſona filiæ ſuæ defeciſſet (ut pote cùm Brutus, qui primus Romæ cõſul fuit, uindicias ſecundùm libertatẽ dixiſſet in perſona uindicis Vitelliorũ ſerui, qui ꝓditionis coniurationẽ indicio ſuo detexerat) & caſtitatem filiæ ſuæ, uitæ quoq́ eius præferẽdam putaret; arrepto cultro de taberna lanionis filiam interfecit; in hoc ſcilicet, ut morte uirginis cõtumeliã ſtupri arceret: ac protinus recẽs à cæde, madẽteq́ adhuc filię cruore, ad cõmilitones confugit. Qui uniuerſi de Algido, ubi tunc belli gerẽdi cauſa legiones erãt; relictis ducibus priſtinis, ſigna in Auentinũ trãſtulerunt, oĩsq́ plebs urbana mox eòdẽ ſe cõtulit. Ita populi conſenſu partim decẽ uiris in carcere necatis, partim in exilium actis: rurſus Reſpublica ſuum ſtatum recepit.

Ferri. *Inſinuat hiſtoriam, cuius ſuprà meminit latius, in*

§. poſtea

§ poſtea ne diutius.

Magiſtratus ſe abdicarent. *Hoc eſt, imperio ſeſe exoluerent. Id autem quia ante conſtitutum finiendi magiſtratus diem, ipſi facere non poterant. l. penul. ff. de offici. Præſid. Ideò ferendum erat ad populum, ut legis autoritate magiſtratu abirent.* Non enim poterat ſummum ius dari decemuiris, niſi depoſito prius aliorum magiſtratu.

Prorogarent ſibi. *Liuius libro 3. ſcribit decemuiros, tabulis primo anno abſolutis: cùm duæ adhuc deeſſent, tractareturq; de magiſtratu decemuirali iterũ creãdo: Appiũ Claudiũ deſiderio cõtinuandi magiſtratus captũ, comitia pro arbitrio habuiſſe: & reiectis quos placuit, alijsq; ſupple tis, ſibi & cæteris quos non reiecerat, magiſtratũ etiam tertiũ annuũ prorogaſſe. Prima itaq; peſtis in Eccleſia & Republica eſt ambitio dominandi: hãc ſequitur tyrannis: tyrannidem ſeditio: ſeditionẽ pernicies ipſorũ quoq; magiſtratuũ.*

Sufficere. *Hoc eſt, locũ dare ſubſtituẽdis magiſtratibus.*

Factio ſua *Factionis ſignificatio aliâs honeſta eſt: ut factio teſtamenti: aliâs inhoneſta, ut hic. Accipitur enim pro diuiſione, ſeu conſpiratione in diuerſa ſtudia, cùm aliqui ſe principes in ciuitate faciunt, quos alij ſequantur. Vnde factioſi ſunt dicti: quoniam amant factionem, hoc eſt, diſcordiam & ſeditionem.*

Aſpera dominatione. *Siquidem duodenis ſinguli faſcibus, hoc eſt, centum & uiginti lictoribus fora complebant, crudelitatẽ in tenuiores mirum in modum exercentes.*

Et obſerua hic, quis ſit exitus iniuſtæ dominationis.

Verginius quidam. *Is filiam habebat formoſiſſimam: quàm cùm Appius Claudius amens ad libidinem ſuam nullomodo flectere potuiſſet: tandem clientem ſuum ſuppoſuit, qui puellam in ſeruitutem uindicaret: ut ſic nacta uitæ ac necis dominica in eam poteſtate, Appius deſiderio*

ſuo potiretur lenocinio clientis.

Appium Claudium. *Is primùm et eruditione & moribus uir inſignis erat: ideoq; inter decemuiros princeps reputabatur.* Sed *cùm ad ſummum perueniſſet magiſtratum, altero ſtatim anno libidine imperandi corruptus fuit.* Vt *ueriſſimum ſit quod* Ariſtoteles *dicit:* magiſtratus uirum oſtendit Et *profectò, quemadmodum uas integrum ſit ne'ne, niſi infuſa aqua cognoſcere nõ poſſis: ita qualis quiſque ſit, ſine magiſtratu nullo modo perſpicitur.*

In duodecim tabularum. Hoc *eſt, in ordinem aliarum legum duodecim tabularum.* Phraſis *eſt loquendi, ut nunc dicimus,* In *duodecim tabulas.*

Vindicias. Hoc *eſt, ius poſſeſſionis uindicandæ ac retinendæ.* Nam *iure uetere is, à quo res petebatur, prædem, hoc eſt, fideiuſſorem dabat, ſe poſſeſſionem rei litigioſæ uſq; ad finem iudicij nihilò deteriorem facturum.* Et *tum illi poſſeſſio potius, quàm aduerſario adſerebatur.*

Ex *quo æquitatis fonte promanauit interdictum prætoris, retinendæ poſſeſſionis.* Et *quod dici ſolet:* Cùm *obſcura ſunt utriuſque iura, contra petitorem iudicari debere, ut in ſuo loco remaneat poſſeſſio.* §. Retinendæ. *inſtit. de interdictis.* l. Fauorabiliores. *ff. de reg. iuris.*

Illud quoque ex hoc iure eſt, quod Papinianus *tractat in* l. Poſtquam *hæredes.* § Imperator Marcus. *ff. ut leg. ſeu fidei com. ſer. cauſ. caueа.* Eum *(inquit) à quo res fideicommiſſæ petebantur, cùm appellaſſet, cauere: uel ſi non caueat, ad aduerſarium transferri poſſeſſionem debere.*

Denique *ob eam rationem prohibitum eſt, à ſequeſtratione rei litigioſæ iudicium exordiri.* Vt C. *de prohibit. ſequeſ. pecun.*

A ſe. Videlicet, Verginio *patre puellæ*

Abdi

Abdixiſſe. *Hoc eſt, abiudicaſſe, cùm ſecundum ius & æquitatem addicere illi poſſeſsionem filiæ ſuæ debuiſſet.*

Dixiſſe. *Hoc eſt, ſubornato actori addictam fuiſſe poſſeſsionem filiæ, cuius tamen ſeruitus petitorio iudicio nondum fuerat probata, nec unquam probari poterat.*

Suppoſitus. *Hoc eſt, falſus actor ſubornatus.* Sic Cicero *de legibus dixit, Supponere teſtamentum, id eſt, falſum teſtamentum ſuppoſita perſona obſignare.* Et *ſuppoſiti partus, pro falſis & adulterinis. l. cùm ſuppoſiti. C. ad leg. Cornel. de fal.* Aliâs *dicimus, Supponere hypothecam, pro pignorare.*

Fas ac nefas. *Fas erat iudicis officio fungi, audire controuertentes. Nefas erat ſupponere actorem calumnioſum: iudicare item contra poſſeſſorem nondum conuictum. Paulus in l. Ordinata. § ſed ſi quis actiones. ff. de libera. cauſ. Nam ordinato (inquit) liberali iudicio, interim pro libero habetur. Sic autem ſolet ambitio ſeducere magiſtratus, dum cogitat: Quòd libet, licet.*

Indignatus. *Duas habebat indignationis ſuæ cauſas, & quidem grauiſsimas: alteram, quòd filia eius primū introduceret exemplum abolendæ legis iuſtiſsimæ detrimento Reipublicæ: alteram, quia per talem Appij tyrannidem, filia erat caſtitatem amiſſura, cum dedecore totius cognationis.*

Indicio ſuo. *Hoc eſt, profeſsione ſua, qua ſeſe ultro, ac ſocios criminis deferebat. Sic enim quis dicitur, Indicium profiteri. Martianus in l. j. in princ. ff. ad leg. Cornel. de ſicari. Qui'ue (inquit) cùm magiſtratus eſſet, publico'ue iudicio præeſſet, operam dederit, quò quis falſum indicium profiteretur.*

Taberna lanionis. *Lanio à laniandis pecoribus*

*dictus eſt,*Ein fleyſchavver.*Vnde lanionia taberna,locus:& lanionia menſa,in qua caro ſcinditur.Aliàs lanius,qui carnes in lanio uendit populo.*

Commilitones. *Erat ergo Verginius ordinis militaris in eo exercitu,cuius paulò antè mentionem fecit.*

Ducibus priſtinis. *Scilicet decemuiralibus.* Nam *quandoquidem exercitus cum plebe tendebat ad uindicandam decemuirorum crudelitatem: non eſt mirum quod eos reliquerint.*

Populi conſenſu. *Quia exercitus, in quo ſenatorum ac patritiorum præcipuì erant,cùm plebe urbana coniungebatur: ideò iuſtus erat* Romanæ *ciuitatis populus.* Et *profectò eſt uerißimile,neminem fuiſſe, cui tam crudele* Appij Claudij *iudicium non diſplicuiſſet maximè.*

In carcere necatis. *Ipſe enim* Appius *mortem ſibi in carcere conſciuit.* Sp. Oppius *ante diem iudicij in uinculis obijt mœrore,ut teſtis eſt* Liuius.*Et ecce,hic exitus omnium tyrannorum fuit ab initio mundi,& erit ſemper.*

Recepit. *Hanc cruentam* Romæ *tragœdiam atque ſeditionem,* Appius *iniuſta ſententia excitauit,quæ tandem nemini magis,quàm ei ac ſuis nocuit.* Nam *Reſpublica ſuum ſtatum recepit.*

Recepit autem Roma *ſtatum ſuum: quia rediebatur ad conſulare imperium.* Anno *urbis* CCCV. *à regibus uerò,* LXI.

Electi autem fuerunt conſules, tertio nondum anno decemuirorum finito, M. Horatius Barbatus, & L. Valerius Potitus.

His Romanorum *exemplis, credo magiſtratus omnes, qui non lapideo prorſus corde fuerint, admoneri debent: quantum referat certam habere iuris diſciplinam,ſecundum*

quam

quam conſtanti ac perpetua uoluntate unicuique reddatur, quod ſuum eſt. Et proinde lampadem cum oleo perdere illos qui inter deſultorias leguleiorum opiniones, ullam ſperant politiæ reparationem inſtitui poſſe.

Accedunt inſignes caſus magnorum regum & principum, qui dum inconſulto quodam adfectu tentarent ditiones ſuas ſine legum obſeruatione, aut etiam contra leges propagare: maximum ſibi proprijs(ut dici ſolet)inuentis exitium aduexerunt.

ARGVMENTVM.

Hæc quoque fuit inſignis mutatio Romani ſtatus, quantum ad magiſtratus pertinet: quia pro conſulibus tribuni cœperunt eligi.

Deinde, cùm poſt aliquot annos, quàm duodecim tabulæ latæ ſunt: & plebs contenderet cum patribus, & uellet ex ſuo quoque corpore conſules creari, & patres recuſarent: factum eſt, ut tribuni militum crearentur, partim ex plebe, partim ex patribus conſulari poteſtate: hiq; conſtituti ſunt uario numero. Interdũ enim uiginti fuerunt, interdum plures, nonnũquam pauciores.

Aliquot annos. *Videlicet, octo. Nam anno urbis* CCCX. *à regibus uerò* LXVI. *electi fuere tribuni militum tres, L. Atilius Luſcinius, T. Cæcilius Siculus, A. Sempronius Atratinus. Sed hi poſt quartum ferè menſem magiſtratum deponebant.*

Et plebs contenderet. *Perpetua hæc fuit cõtentio*

 ab ini

ab initio Romani imperij, inter patres & plebē. Quòd patres recuſarent plebeios admittere, uel ad ſuorum nuptias, nedum ad magiſtratum. Allegabant enim patrum ordinem ſeparatum eſſe debere à plebeio. Si nuptiæ confunderentur, futurum eſſe, ut nemo rationem ſanguinis ſui poſſet intelligere. Sacrorum item obſeruationem contaminari promiſcuis nuptijs. Moriendum ergo potius exiſtimabant patritij, quàm id dedecoris admittendum.

Contra Canuleius tribunus plebis, luculenta oratione oſtendit iuſtum eſſe, quod plebs peteret. Eandem enim omnes patriam incolere. Omnes ciues eſſe. Imperium Romani populi, non patritiorum eſſe. Non conuenire, ex una ciuitate duas facere. Medium itaq; inuentum eſt, ut neque omnino cenſerentur conſules ex plebe electi, neque rurſus plebei contemnerentur, quaſi non eſſent imperij membra: & electi ſunt ex utroque corpore tribuni militum conſulari poteſtate.

Nonnunquam pauciores. *Variebatur hic magiſtratus: quia neq; patribus, neq; plebi admodum probabatur: ideoq; nec fuit diuturnus, ut ſequitur.*

Interim obſerua quinq; tribunorum genera.

I. *Fuerunt tribuni celerum apud reges, ut ſuprà §. quod ad magiſtratus.*

II. *Tribuni plebis, ut ſuprà §. eiſdem temporibus.*

III. *Tribuni militum conſulari poteſtate, ut hic.*

IIII. *Tribuni militum in caſtris, quorum erat arcere milites, ne annonam ui raperent à prouincialibus. l. officium. §. fi. ff. de re milita.*

V. *Tribuni ærarij, qui militibus ſtipendia erogabant ære publico, cùm antea ſuo quiſque ſumptu pro Republica militaret, teſte Liuio libro vj. Pfenningmeiſter.*

ARG.

ARGVMENTVM.

Poſt tribunos militum redire placuit ad conſularem magiſtratum, cuius nomen etiam auguſtius inſigni Romanorũ Reipublicæ uidebatur. Quo tempore ædiles curules primùm cœperunt. Item prætores, centumuiri, quatuoruiri, triumuiri monetales, & triumuiri capitales.

Deinde cùm placuiſſet creari etiam ex plebe conſules: cœperunt ex utroq; corpore conſtitui. Tunc ut aliquo pluris patres haberentur, placuit duos ex numero patrum conſtitui: ita facti ſunt ædiles curules. Cumq; conſules auocarētur bellis finitimis, neq; eſſet, qui in ciuitate ius reddere poſſet: factum eſt, ut prætor quoque crearetur, qui urbanus appellatus eſt, quòd in urbe ius dicebat. Poſt aliquot deinde annos, non ſufficiente eo prætore, quòd multa turba etiam peregrinorũ in ciuitatem ueniret: creatus eſt & alius prætor, qui peregrinus appellatus eſt ab eo, quòd plerunq; inter peregrinos ius reddebat. Deinde cùm eſſet neceſſarius magiſtratus, qui haſtæ præeſſet: centum uiri litibus iudicandis conſtituti ſunt. Conſtituti ſunt eodem tēpore & quatuor uiri, qui curā uiarũ agerent; & triũuiri monetales æris, argenti, auri flatores: & triumuiri capitales, qui carceris cuſtodiam haberent, ut cùm animaduerti oporteret, interuentu eorum fieret.

Deinde cùm placuiſſet. *Veritas enim uel inuitis tandem ſolet extrudere conſenſum, ut hodie quoque uidemus conſentire paulatim ueritati eos, qui manibus atque pedibus huc uſque reſtiterunt.*

Conſtitui. *Anno urbis* CCCLXXXVIII. *à regibus* CXLIIII. *Ex corpore patrum, L. Aemylius Mamertius: è plebe uerò L. Sextius Lateranus eligebantur.*

Aliquo pluris. *Sicut enim iniquũ erat plebem proſus contemni, nec ad ullos magiſtratus gubernandæ Reipu. admitti: ſic exigebat æquitas, ut aliqua dignitate patritiorũ ordo præcederet. Rectè ergo conceſſum eſt, ut ex patrum ordine ſolo crearentur ædiles curules, prætor item urbanus, ſicut Liuius tradit lib. vj. Et certè Pomponius idipſum innuit, ſi rectè inſpicias: quia poſt ædiles, prætoris immediatè ſubijcit mentionem.*

Aediles curules. *A curuli. Erat enim curule, uel curulis, ſedes ex ebore, qua maiores magiſtratus utebantur in curru, quo honoris gratia in curiam uehi ſolebant. De his ædilibus eſt tit. ff. de ædili. edict.*

Ius reddere. *Conſtant ergo conſules Romæ ius reddidiſſe. Quod & probatur ſuprà §. Et quia ut diximus. Vbi non fuit permiſſum conſulibus de capite ciuis Romani iniuſſu populi ius dicere. Ergo de reliquis omnibus cauſis ius dicebant. Argu. à contrario ſenſu.*

Falſa proinde eſt opinio Gloſſæ ac Doctorum in l. j. ff. de offic. conſul. Putant enim conſules Romanos duntaxat uoluntariam exercuiſſe iuriſdictionem.

Vt prætor. *A præcũdo, autore Varr. Huius autem in tantũ creuit autoritas (magiſtratus enim ex corpore patrum creatus erat plauſibilis ualde) ut ſex ei faſces cum lictoribus concederentur: ſella item curulis ſicut ædilibus, & trabea.*

Faſces numero plurali per tranſlationem ſignificant inſignia magiſtratus. Nam *lictores olim cum faſcibus, hoc eſt, congerie uirgarum, cui ſecuris erat adligata, præcedere ſolebant conſules, ac alios magiſtratus maiores, ad terrorem malorum. Sicut nunc* Imperatori *gladius præfertur, ſupremæ poteſtatis ſymbolum.*

Lictor, miniſter erat magiſtratus, qui carnificis officio fungebatur. Hos Romulus inſtituit. *Conſules duodenis: reliqui tantum ſenis lictoribus utebantur. Dicti ſunt lictores à ligando: quoniam uirgarum faſces ligatos deferebant.*

Trabea erat genus ueſtis togatæ, purpura circunducta ſub tegmine puniceo, quam aureæ fibulæ annectebant. Ea non utebantur niſi reges, conſules, & tandem prætor. Ex his adparet, quare toties in iure prætor appellctur conſul: quia loco conſulis ius reddebat, & ex patrum numero delegebatur. Quid *item ſit, quod dicitur: edicta ædiliũ curulium eſſe portionẽ iuris prætorij.* Nam *& prætores, & ædiles ex ordine patrũ lecti, ius reddebãt, adeoq; legis cõdendæ ius habebant. inſt. de iur. natura. genti. & ciuil. §. prætorum quoq;.*

Vrbanus. *Et hæc urbana prætura omniũ erat ut prima, ita etiam maxima.* Ideoq; *prætorem peregrinum, aliàs minorem appellabant, teſte* Cicerone *pro lege Manilia.*

Neceſſarius. *Sed quomodo alius deſiderari potuit magiſtratus, cùm prætores eſſent creati litibus iudicandis?* Reſpondeo: *Senatus ſæpe utebatur prætoribus ad res arduas foris agendas.* Ne *igitur priuata ciuium impedirentur negotia: ſtatam introduxerunt iudicandi ordinationem.*

Haſtæ præeſſent. *Hoc eſt, forenſibus ac priuatis expeditionibus.* Romani *enim in honorem* Romuli, *qui ab haſta* Quirinus *dicebatur: omnia ferè ſolennia per haſtam ſignificabant.* Vnde *etiam rebus, quæ per auctionem publicè*

blicè uendebantur, haſta adhiberi conſueuerat. Idq; ſub haſta uenire, & ſubhaſtatio dictum eſt. Cicero Philip. VIII. *Itaque haſtam (inquiunt) ſemper uidere cupiunt ij, qui noſtris bonis imminent.*

Haſtam abijcere, eſt diffidere prorſus cauſæ: metaphora ab exercitu militari tracta. Cicero pro Murena: Vides'ne tu illum triſtem? demiſſum? iacet, diffidit, abiecit haſtas.

Haſta ab aſto dicitur: quòd aſtans ferri ſolet, autore Varrone. Aſpirationem ad differentiam ſecundæ perſonæ imperatiui aſta, recipit. Vtuntur iam nunc pleræq; ciuitates haſta, ad ſignificandum tempus liberæ emptionis & uenditionis. Et quòd alicubi iudices baculos deferunt, reliquiæ ſunt haſtarij iuris.

Centumuiri. *Nam ex trigintaquinq; tribubus Romanis, terni electi ſunt, qui iudicarent. Horum fit mentio in l. penulti. C. de petitio. hæredi. Quem locum ineptiſsimè accipiunt de ſenatoribus.*

Quanquam autem centum & quinque eſſent: centum tamen uiri ob commoditatem loquendi appellabantur. Nec ſolùm de hæreditarijs, uerumetiam de alijs cauſis iudicabãt, teſte Cicerone, de Oratore lib. I.

Centumuiris item, cùm de cauſis cognoſcendum in iudicio eſſet, prætor, niſi Reipublicæ cauſa impeditus, ſemper aderat: ut Cicero indicat pro Roſcio. Paulus, ff. de regu. iuris. Vbicunque (inquit) cauſæ cognitio eſt: ibi prætor deſideratur.

Quatuoruiri. *Quorum officium erat, ut uia eſſet itinerantibus à latronibus ſecura, & interim uehiculis agendis ſtrata.*

Flatores. *Hoc eſt, ſignatores. Flare enim inter alia pro ſignare dicitur, quòd æs, argentum, aurum flando, id eſt,*

calef

calefaciendo ſignetur. Hinc flatum æs, & flata pecunia, pro ſignata: cuius primus autor Seruius Romanorum rex traditur, ut ſuprà: tandem autem à nota pecudis pecunia uocata eſt.

Interuentu eorum. *Hi haud dubiè miniſtros ſub ſe habebant, qui ſententias iudicum exequerentur in maleſactores. Cæterùm, ut rectè id fieret, ipſi Triumuiri capitales interueniebant.*

ARGVMENTVM.

Qua neceſſitate Quinqueuiri propter alios magiſtratus fuerint introducti, obiter declarat.

Et quia magiſtratibus ueſpertinis temporibus in publicum eſſe, inconueniens erat; quinque uiri conſtituti ſunt cis Tyberim, & ultis Tyberim, qui poſſent pro magiſtratibus fungi.

Veſpertinis temporibus. *Cùm enim magiſtratus ſint terrori malis, ut Apoſtolus dicit Roma. xiij. certè cauere ſibi debent, ne ueſpertini temporis opportunitate à malis lædantur. Tum etiã maieſtas iudicandi, quæ ex Deo procedit, apertam diei lucem poſtulat, iuxta illud: Qui malè agit, is odit lucem. Probatur, Nouell. De iudicibus. §. ſedebũt autem. Conſtit. LXXXII.*

Alibi tamen Paulus more Romano (inquit) dies à media nocte incipit, & ſequentis noctis media parte finitur. Ita quicquid in ijs uigintiquatuor horis, id eſt, duabus dimidiatis noctibus, & luce media actũ eſt: perinde eſt, quaſi qualibet hora lucis actum eſſet. ff. de feri.

CONCILIATIO.

Solennes cauſarum cognitiones, & ardua Reipublicæ

negotia lucem diei exigunt, atq; animorum uigilantiam. Sic intelligenda eſt regula huius loci, & Nouell. de iudici.

Cæterùm, neceſsitas incidẽs, & pietatis ratio nullũ tempus repudiat. Quo modo accipiẽda eſt, l. more Romano. & l. hæc uerba ille aut illæ. ff. de uerb. ſign. Quare orta ſeditione noctu, aut incendio, utiq; magiſtratum prodire oporteret. Et tranſactio propter tempus noctis non poteſt impugnari. l. non minorem. C. de tranſactioni. Sicut & teſtamentum. l. ad teſtium numerum. §. poſſe. ff. qui teſtamen. facere poſsint. Accedit c. conſuluit. de offic. delegat.

In publicum eſſe. *Et per conſequens expoſitum periculis, ac omnium, qui noctu uagantur, inſidijs. Dicimus autem, In publicum eſſe. &, In publico eſſe. Item. In poteſtatem eſſe. &, In poteſtate eſſe, Gellio teſte, lib. 1.*

Pro magiſtratibus. *Non enim erant magiſtratus, ſed imminente neceſsitate magiſtratuum loco erant implorantibus auxilium. Sic dicimus aliquem fungi pro conſule, pro prætore, pro tutore, pro cancellario: ut uulgò, uicem gerere, & uicarium.*

ARGVMENTVM.

Originem oſtendit prætorum prouincialium.

Capta deinde Sardinia, mox Sicilia, itẽ Hiſpania, deinde Narbonenſi prouincia: totidem prætores, quot prouinciæ in ditiones uenerant, creati ſunt: partim qui urbanis rebus, partim qui prouincialibus præeſſent.

Sardinia. *Inſula Liguſtici maris, quæ nec lupum, nec ſerpentem alit. Herbam autem habet, quæ ueſcenti neruos ita contrahit, ut ridenti ſimilis moriatur. Vnde Sardonius riſus in prouerbium abijt.*

Præeſſent.

Præeſſent. Quantũ ad iuris dicẽdi functionẽ attinet.

ARGVMENTVM.

De uariis prætorum generibus diſſerit, quæ temporum ratio paulatim uidebatur poſtulare præſertim ſuccedentibus iam principibus, quorum arbitrio pleraq; uariebantur.

Deinde Cornelius Sylla quæſtiones publicas cõſtituit: ueluti de falſo, de pariſcidio, de ſicarijs, de iniurijs; & Prætores quatuor adiecit. Deinde Caius Iulius Cæſar duos prætores, & duos ædiles, qui frumẽto præeſſent, à Cerere Cereales cõſtituit. Ita duodecim prætores, ſex ædiles ſunt creati. Diuus deinde Auguſtus ſedecim prætores cõſtituit. Pòſt deinde diuus Claudius duos prętores adiecit, q de fidei cõmiſſo ius dicerent. Ex qbus unũ diuus Titus detraxit: & adiecit diuus Nerua, q inter fiſcũ & priuatos ius diceret. Ita decẽ & octo ꝑtores in ciuitate ius dicũt: & hęc omnia, quoties in Republica ſunt magiſtratus, obſeruantur. Quoties autẽ proficiſcunt̃: unus relinquit̃, qui ius dicat: is uocatur præfectus urbi. Qui præfectus olim cõſtituebatur, poſtea ferè latinarũ feriarum cauſa introductus eſt, & quotannis obſeruatur. Sanè præfectus annonæ & uigilum, quanquã non ſunt magiſtratus, ſed extra ordinẽ utilitatis cauſa conſtituti: tamen hi, quos cis Tyberim diximus,

poſtea

poſtea ædiles ſenatus conſulto creabantur.

Cornelius Sylla. *Veriſimilius eſt, ut de L. Cornelio Sylla accipiatur, qui primùm conſul fuit cum Q. Pompeio Rufo, anno ab urbe condita* DCLXVI. *Deinde cum Q. Metello Pio, anno* DCLXXIIII. *Non autem de P. Cornelio Sylla, homine non ita malo, qui fuit conſul cum L. Antonio Pæto, anno urbis* DCLXXXIX.

De L. Cornelio Sylla tradit Valerius: credi propemodum poſſe, duos in uno homine Syllas fuiſſe: turpem adoleſcentulum, & uirum forte. lib. vj. cap. ix. Idem: Quid tam excellens (inquit) quid tam opulentum, quàm L. Sylla? Diuitias & imperia largitus eſt: leges uetuſtas abrogauit, nouas tulit. lib. vij. cap. v. Crudeliſſimus omnium hominum fuit, & nimia tandem animi concitatione ſubitò mortuus eſt. Valerius lib. ix. cap. ij. & iij.

Quæſtiones publicas. *Id eſt, iudicia criminalia, quæ per quæſtiones expediantur. Cicero Philip. ij. Quid enim (ait) attinebit noua lege quæri de eo, quòd hominem occidiſſet: cùm eſſet legibus quæſtio conſtituta?*

Deinde Caius. *Sicut ab initio imperij Romani magiſtratus uarijs modis conſtituti ſunt: ita per Imperatores uſq; in hodiernum diem, magiſtratuum nomina & officia diuerſas receperunt formas.*

Frumento preeſſent. *Ne caritas annonæ per auaritiam diuitum, quibuſdam, uelut monopolijs introduceretur, utq; aduehi aliunde frumenta curarent uel publico ære.*

Duodecim prætores. *Videlicet, prætor urbanus, prætor peregrinus: ſuprà, §. deinde cùm placuiſſet. Itē quatuor prætores prouinciales, quatuor, quos Sylla adiecit: & duo Iulij Cæſaris, ut hîc.*

Sex ædiles. *Scilicet, duo, qui ædibus præeſſent: ut ſuprà*

ſuprà §. Iiſdem temporibus. Duo *ædiles curules, & duo cereales, ut hîc.*

De fideí commíſſo. *Declaratur hoc, Inſtitut. De fideicommiſſa. hæredita. in princ.*

Proficiſcuntur. *Rectiſſimè in tam ampla ditione perpenderunt* Romani *abſentiæ neceſſitatem, quæ iudicibus propter induſtriam perſonarum ſæpe decernebatur, ne interim iuſtitiæ officina domi uacaret.*

Conſtituebatur. *Cùm opus uideretur, nec erat ordinarius perpetuusq; magiſtratus.*

Introductus eſt. *Ecce, poteſt ſuperueniens cauſa efficere, ut perpetuum aliquid fiat, quod primum eſſet temporarium.*

Conſtituti. *Obſerua multùm referre: utrùm magiſtratus aliquis ſit: an extra ordinem ad munus adminiſtrãdum conſtitutus.*

Latinarum autem feriarum, quæ nundinis expediri ſolebant, celebritatibusq; maximis, tanta erat cura, ut præfectus crearetur perpetuus. Idq; *in memoriam eius temporis, quò* Latini *in ſocietatem* Romanorũ *perſuaſi eſſent,* Tar*quinio ſuperbo regnante.*

ARGVMENTVM.

Epilogus eſt omnium magiſtratuum Romanorum, qui ſucceſſu temporis uariati ſunt.

Ergo ex his omnibus decẽ tribuni plebis, cõſules duo, decem & octo prætores, ſex ædiles in ciuitate iura reddebant.

PERORATIO.

His ſanè uiuis *Romanorum magiſtratuum exemplis noſtri quoq; ſeculi* Principes *admoneri debẽt ut poſt reſtauratam iuris diſciplinam, autore* Deo, *proxima cura*

ſit de

ſit de iudicibus,qui ius rectè conſtitutũ,rectè ſubditis adminiſtrẽt.Etenim ad eã functionẽ deſignari oportet pios uiros, hoc eſt, qui primùm regnum & uerbum Chriſti quærant. Deinde,qui ſic fuerint bonis & literis & moribus eruditi, ut uita atq; fortunæ ſubditorum tutò poßint illis committi, dicente Iuſtiniano in proœmio Inſtitutionum.

Et profectò niſi talibus initijs auſpicati fuerint reparationẽ politiæ in Republica illi,ad quos ea res pertinet: tandem lampadem ſeſe cum oleo ſentient perdituros.

CAP. II. FINIS.

CAPVT III. DE PROFESSIONE PRVDENTIVM.

ARGVMENTVM.

Poſtremo nunc loco tractat Pomponius ſucceſsionem prudentiũ,qui in Republica Romana ſemper fuerunt:ſcholaſticam exercentes profeſsionem.

IVRIS ciuilis ſcientiã plurimi & maximi uiri profeſsi ſunt: ſed qui maximæ dignationis apud populum Romanũ fuerunt,eorũ in præſentia mẽtio habenda eſt;ut appareat,à qbus & qualibus hæc iura orta & tradita ſint. Et qdẽ ex omnibus,qui ſcientiã nacti ſunt ante Tyberiũ Coruncanũ publicè profeſſum neminẽ,traditur:cæteri autẽ adhuc uel in latenti ius ciuile retinere cogitabant, ſolumq;

lumq́ cōſultatoribus potius, quàm diſcere uolentibus ſe præſtabant.

Scientiam. *Hoc eſt, cognitionem ciuilium rerũ per cauſas. Id enim propriè ſcimus, cuius cauſam intelligimus. Qui ergo nō cognoſcit cauſas iuris: certè is nec poteſt profiteri ſcientiam eius. l. j. ff. de iuſtit. & iur.*

Maximi uiri. *Iuris enim ſciētia cùm ſemper ſummo honore ſit habita: maximi nominis reddidit eius profeſſores. Et profectò, ſicut corpus noſtrũ ſine mente cadauer eſt: ita ciuitas ſine legibus certis, pernicioſa cenſetur hominũ colluuies: hoc eſt, multitudo ex diuerſis locis inutiliter uelut ſordes coacta.* Cicero pro Cecinna: *Nihil enim (inquit) tam diligenter retinendũ, quàm ius ciuile: quo ſublato, nihil cuiquã exploratum eſſe poteſt, quid ſuum, quid alienum ſit.*

Quanquã autē iuris ſcientiam plurimi ſint profeſſi: non tamē omniũ nomina poſſunt, aut etiã expediret ſtudioſis recenſeri: ſed excellentiſſimorũ duntaxat mentio habenda eſt.

Vt appareat. *Optimæ rationes ſunt, quare ſucceſſio prudentium demonſtranda ſit. Primùm, quia dignatio perſonarum, fides item & eruditio autorum, non mediocriter commendant leges ab eis latas. Deinde, qua forma, quo ſtudio & deliberatione traditæ ſint ab eis: nemo ſatis admirari poteſt, qui non totam profeſſorum iuris ſeriem perſpexerit, quomodo alius alia in re plus præſtiterit.*

Nancti ſunt. *Sic enim antiqui dicebant, cùm ſit nanciſcor à nancio, cis, autore Priſciano. Nunc nacti ſcribimus, detracta, N, litera.*

Tyberiũ Coruncanum. *Huius tanta fuit autoritas, ut de omnibus diuinis & humanis rebus ad eũ deferretur, ut eſt uidere apud Ciceronem, de Orato. lib. iij. & Liuium*

uium libro xviij. Fuit autem conſul Romæ *cum* P. *Valerio Leuino: anno ab urbe condita* CCCCLXXIII. *ab eiectis regibus* CCXXIX.

In latenti. *Latet quod uel occultum, uel incertũ eſt.* *Nulla prorſus ratione defendi poſſunt ſtulti profeſſores, qui iuris ſcientiam in latenti (quantum in illis eſt) retinere cogitant, ac nõ potius ultrò ſe diſcere uolentibus exhibent. Meritò igitur Cicero talem inſaniam reprehendit in oratio. pro Murena: & Seneca ad Lucilium ſcribens olim, nihil prius in uotis habuit, quàm omnem ſcientiam ſuam in alium transfundere.*

Fuit autem in primis peritus Sextus Papyrius, qui leges regias in unum cõtulit. Ad hoc Appius Claudius unus ex decem uiris, cuius maximũ conſiliũ in duodecim tabulis ſcribẽdis fuit. Poſt hũc Appius Claudius eiuſdem generis maximã ſcẽtiã habuit. Hic Cæcus appellatus eſt, & Appiam uiã ſtrauit, & aquã Claudiã induxit, & de Pyrrho in urbẽ nõ recipiẽdo ſententiã tulit: hunc etiã actiones ſcripſiſſe traditũ eſt, primumq́ de uſurpationibus, qui liber nõ extat. Idem Appius Claudius uſu, qui uidetur ad hoc proceſſiſſe, R. literam inuenit: ut pro Valeſijs Valerijs eſſet, & pro Fuſijs Furijs,

Sextus Papyrius. *Non eſt accipiendus ille, qui puer adhuc cum patre ſenatum ingredi ſolebat. Et matri curioſius, quàm par eſſet, ſecreta percontanti reſpondit, conſultum*

ſultum fuiſſe, an è re foret, uni uiro duas uxores permitti: ac inde honorificum prætextati cognomen meruit. Sed de Mamio Papyrio, cuius & ſuprà fit mentio, hîc loquitur, autore componendi iuris regij.

Superiùs autem dixit: In unum compoſuit, *nunc dicit:* In unum conſulit.

Ab hoc. *Id eſt, poſt hunc Papyrium, aliquo tamen temporis interuallo. Nam non tempus, ſed iuris ſcientiam tractat Pomponius, ut omnia ſecundum materiam intelligas.*

Appius Claudius. *Quo in legibus ferendis nemo unquam fuit diligentior: in adſerendis autem nemo remiſsior. Anno ab urbe CCCIII. abiectis regibus LIX.*

Appius Claudius. *Hic cæcus eſt cognominatus. Fuit primùm conſul cum L. Volumnio Flamma Violenſi: anno ab urbe CCCCXLVII. ab exactis regibus CCIII. Aquam autem, cuius hîc fit mentio, ſine autoritate ſenatus, inuita nobilitate primus in urbem inuexit: cùm antea quadringentis amplius annis puteorum ac fontium aqua plebs fuiſſet uſa.*

Viam quoque Appiam ſtrauit, Roma Capuam uſque, hoc eſt, centum trigintaquinque millibus paſſuum, teſte Iulio Frontino.

Scæuola in l. uxorem. §. concubinæ ff. de legat. III. Fundamentum (inquit) in Appia cum uillico. Sicut & nunc per appellationem uiæ demonſtrari ſolet locus agri: quod Accurſium latuit.

Et de Pyrrho. *Pyrrhus rex Epirotarum, à Tarentinis contra Romanos in auxilium uocatus, cùm illatis & acceptis bello cladibus, Cyneam legatum ad ſenatum miſiſſet, ut componendæ pacis cauſa rex in urbem reciperetur, iamq; ſenatus eò inclinaret: Appius Cæcus re comperta, ſella in ſe-*

f natum

natum uectus, luculenta oratione, ne pace facta, Pyrrhus in urbẽ reciperetur, obtinuit. Liuius lib. 13. Valer. lib. 4. cap. 5.

Hic autem Appius non eſt, de quo fit mentio in l. j. §. caſum. ff. de poſtuland. Nam locus ille de Publio Cæco loquitur: quod multos fefellit.

Ad hoc proceſsiſſe. *Vſus enim de una re ad aliam procedens, experientiã quandam ſolet ſuppeditare, & multa ſæpe nos docet imprudentes. Vſus igitur, non ars perduxit Appium ad inuentionem, R, literæ: ſicut & alia multa iam nunc tali modo reperta uidemus.*

Fuit poſt eos maximæ ſcientiæ Sempronius, quem populus Romanus σόφον appellauit: nec quiſquã ante hunc hoc nomine cognominatus eſt. Sed & C. Scipio Naſica, qui optimus à Senatu appellatus eſt: cui etiam publica domus in ſacra uia data eſt, quò faciliùs conſuli poſſet. Deinde Quintus Fabius, qui ad Carthaginenſes miſſus legatus: cùm eſſent duæ teſſeræ poſitæ, una pacis, altera belli: arbitrio ſibi dato, utram uellet, referret Romã; utrãque ſuſtulit, & ait Carthaginenſes petere debere, utram mallẽt accipere. Poſt hos fuit Tyberius Coruncanus, qui (ut dixi) primus profiteri cœpit; cuius tamen ſcriptũ nullum extat, licet reſponſa compluria & memorabilia eius fuerint. Deinde Sextus Aelius, & Publius Atilius maximã ſcientiã in profitendo habuerunt: & duo Aelij

etiam

etiam cõſules fuerũt. Atilius autẽ primus à populo ſapiens appellatus eſt. Sextum Aeliũ etiã Ennius laudauit; & extat illius liber, qui inſcribitur tripertita, qui ueluti cunabula iuris cõtinet. Tripertita autem dicitur, quoniã lege duodecim tabularũ præpoſita, iungitur interpretatio, deinde ſubtexitur legis actio. Eiuſdẽ eſſe tres alij libri referunt; quos tamẽ quidam negant eius eſſe. Hos ſectatus eſt ad aliquid Marcus Cato princeps Porciæ familiæ, cuius & libri extãt; ſed plurimi filij eius, ex quibus cæteri oriuntur.

Σόφον appellauit. *Obſerua hîc diligẽter, q̃ præclaros uirtutis & eruditiõis titulos emeriti ſunt boni uiri apđ* Roma.

Et quia maximam ſcientiã Sempronio populus Romanus *attribuit, rectiſsimè σόφον cũ appellauit. σοφὸς enim Græcis eſt, quos* Latinis *ſapiens, doctus, acutus, ſcitus, bonus, utilis: à σοφία ſapiẽtia.* Et Romani *cùm aliquẽ laudare uellent, quòd doctè oĩa dixiſſet, aut prudẽter feciſſet: σόφον appellabãt, uel mox adclamabãt σοφῶς, hoc eſt, ſcitè, doctè, acutè, ſapienter.*

Quemadmodum autem pulchrum eſt à bonis uiris ſic uerè laudari: ita turpe eſt, ſi ambitioſi homines conducant redimantq́; huiuſmodi laudatores, qui neq; ex animo, neq; uerũ prædicent. Vnde Σοφοκλεῖς *Græcè, laudiceni* Latinè *ſunt dicti, qui cœna pacta laudari ſeſe iubent.*

Neque uerò deſunt adulatores hodie, qui fumum falſæ laudationis minimo uendituri, & ſtultum aliquem non modo σόφον, uerumetiam magiſtrum noſtrum, aut, ſi malis, lucem mundi libenter appellaturi ſint.

Exemplum adulatoris memorabile apud Suetonium eſt. Tyberius enim Cæſar cùm edicto uerbum, apud Latinos non receptum, inſcripſiſſet, eiusq́; recordatio principi ſubiſſet: grammaticos conuocauit, inter quos Pomponius uerbum ingenuè reprehendit: Capito palpitans, adfirmauit & eſſe illud antiquum: & ſi nō eſſet, futurum certè iam inde, & ciuitatem in gratiam Cæſaris id uerbum inter antiqua relaturum. Tum Pomponius grammaticus ad Tyberium conuerſus: Mentitur Capito inquit. Tu enim Cæſar ciuitatem dare potes hominibus, uerba & linguæ Latinæ uſum dare non potes.

Illud ignorandum non eſt: quòd Iudæorum olim doctores (teſte Hieronymo) ſophi, hoc eſt, ſapientes à plebe dicti ſunt. Qua imitatione apud Græcos ἑπτὰ σοφοὶ, id eſt, ſeptem ſapientes nuncupabantur. Tales Mileſius, Solon Athenienſis, Chilon Lacedæmonius, Pittachus Mityleneus, Bias Pryenæus, Cleobolus Lydius, & Periander Corinthius.

Sed poſtea Pythagoras primus, uel hoc nomine omnium ſapientiſsimus: non ſapientem ſe, ſed philoſophum, hoc eſt, ſapientiæ amatorem appellari uoluit, ſapientiam ſoli DEO *relinquens.*

Sempronius autem, cuius hic fit mentio, uocatus eſt nomine proprio L. Atilius, uel Publius Atilius, autore Cicerone. Nam idem Atilius Græco cognomine Sempronius propter iuris prudentiam, antea quoque dictus fuit, quàm σόφον nuncuparetur.

Optimus. *Inter omnes titulos honoris hic reputabatur præcipuus, qui à uirtute ipſa ſumptus, non cuiuis tribui ſolebat. Itaque Caius Scipio Naſica, cùm ob ſingularem animi probitatem eximium mereretur encomium,* Optimus, *appellatus eſt. Idq́; à ſenatu, ne quis ſuſpectum habeat*

beat uulgi iudicium de uirtute Scipionis.

Publica domus. *Magnus olim honor erat, ſi cui publicè domus daretur: hoc eſt, impenſis publicis.*

In ſacra uia. *Multis rationibus ſacra dicebatur. Primùm, quòd augures per eam proficiſci: deinde, quòd omnia Romanorum pſeudoſacra per eam uehi: denique, quòd triumphi omnes hac agi ſolerent, Varrone teſte.*

Duæ teſſeræ. *Multifariam teſſera ſolet accipi.* I. *Pro quadrata re ad aleam parata,* vvirffel. II. *Pro ſigno, quo uel pax, uel bellum adfertur.* III. *Pro ſymbolo bellico, quod propter confuſionem exercituum euitandam militibus dabatur,* Die loſe, oder loſzeichen. IIII. *Teſſera frumentaria dicitur, quam oſtendens accipiebat certam frumenti menſuram. Sicut iam nunc pauperes impetrare ſolent. l. mortuo boue. §. j. ff. de legat.* II. *l. ſed & ſi ſuſceperit. §. j. ff. de iudici.* V. *Pro ſigno, quo hoſpes agnoſceretur olim,* Ein vvarzeichen der geſte. VI. *Teſſera ſecuritatis dici poteſt ſaluus conductus, ut nunc uocant.* VII. *Pro talea,* Ein kerbholtz.

Vtranque ſuſtulit. *Magnanimitatis argumentum non mediocre fuit, animo tam infracto ſine ulla cunctatione, datam optionem torquere in aduerſarios.*

Et Publius Atilius. *Is eſt, quem paulò antè Sempronium nuncupauit, cognomen Græcum ſecutus. Quod euidentius eſſet, obiter repetit:* Atilius autem primus à populo ſapiens appellatus eſt.

Ennius laudauit. *Maximus honor ſemper fuit à doctis uiris laudari. Quare Pomponius inter præcipua Iuriſconſultorum encomia refert: quòd Sextus Aelius ab Ennio poëta laudatus ſit uerè, non per adulationem.*

Tripertita. *Neutro genere. Hoc eſt, liber continens*

ea, quæ in tres partes eſſent neceſſariò diuiſa, ſicut inferius declarat.

Et profectò commodiſſimus tractandi iuris ordo, ac uera methodus eſt: ut primùm tradantur ſtudioſis leges duodecim tabularum, & decalogi noſtri, in quibus ſunt axiomata, & certiſſimæ iuris naturalis formulæ, ad quas niſi reliqua legum ciuilium præcepta exigantur, ſemper manent incerta. Deinde, ut interpretatio harum legum rectè tractetur, hoc eſt, quomodo uarijs hominum negotijs accommodandæ fuerint, ne in totum recedatur à formulis naturalibus. l. ius ciuile eſt. ff. de iuſtiti. & iur. Poſtremò, ut demõſtrentur actiones, quibus omnia legum ſtatuta poßint ad executionẽ ſine ulla turbatione perduci, modò legitimè inſtituantur.

Veriſſimum itaque eſt, quod Pomponius dicit, in eo libro Sexti Aelij, uelut cunabula iuris tripertitò collecta fuiſſe. Atque ô utinam talis liber iam nunc quoque extaret: aut ſaltem perſuaderi poſſet noſtris profeſſoribus: perdere eos lampadem & oleum, niſi ex Pandectis, alijſq́; legum monumentis methodica quadam ratione, ad imitationem Sexti Aelij tripertita proponant ſtudioſæ iuuentuti.

Quos tamen. *Sæpe nanque credendum eſt olim eueniſſe, quòd iam nunc frequenter accidit: ut doctis autoribus adſcribantur falsò libri, quos alioqui nemo reciperet.*

Sectatus eſt. *Sectari aliâs ſignificat frequenter ſequi aliquẽ uidẽdi uel alloquẽdi gratia, ſicut & amatores plerũq; ſolẽt. Aliâs eſt imitari ac cõtinuè ſeq̃ i moribus uel diſciplinis. Vnde ſectæ philoſophorũ, hoc eſt, ductus, quos mlti ſequãtur.*

Ad aliquid. *Non enim tantã iuris prudentiã Catoni, quantã Atilio & Aelio tribuere potuit. Itaque temperamẽto uſus eſt,* Ad aliquid, *pro aliquatenus, aliqua ex parte.*

Marcus Cato. *Is primus inter Catones, cùm Portius eſſet cognominatus, meritò uelut princeps, hoc eſt, ini-*

tium & caput, cognomen ſuum toti familiæ reliquit, ut Portia diceretur. Fuit Romæ cenſor cum L. Valerio admodum ſeuerus. Quam ob rem ſæpiſſimè ab inimicis accuſatus iudicio capitali, ſemper innocẽs abſoluebatur. Græcas literas Ennio præceptore ſenex didicit. Inde (inquit Valerius) æſtimemus, q́ etiã Latinas penè iam ſenex didicit, lib. 8. cap. 7.

Sed plurimi. *Extant quidem libri Catonis ſenioris, id eſt, qui inſcribuntur Catoni: ſed plurimi ſunt filij eius, ex quibus illi quoq; libri ſub titulo patris prodeuntes orti ſunt.*

Cato enim duos habuit filios ex duabus nuptijs: quorum prior uiuo patre mortuus, egregios in iure libros reliquit: ex quibus haud dubiè parens paucis mutatis, aliquos ſibi uindicauit, ſicut hic uidetur innuere. Poſterior uerò filius Catonis Stoicæ ſectæ adhærens, Vticæ perijt, unde Vticenſis eſt nuncupatus.

Proinde quod eſt in l. iij. §. Cato. ff. de uerbor. obligation. non poteſt tribui ulla ratione Catoni Vticenſi: ſed ſcriptum prioris eſt Catonis. Qua in re cõmentatores errarunt.

Catonis autem primi atque Cenſoris, qui unicum filium Vticenſem reliquit ſuperſtitem, præclaram mentionem faciunt, Liuius lib. 9. & Cicero de Orat. lib. 1.

Poſt hos fuerunt Publius Mutius, & Brutus, & Manilius, qui fundauerunt ius ciuile. Ex his Publius Mutius decẽ libellos reliquit, Brutus ſeptẽ, Manilius tres. Extãt & uolumina inſcripta, Manilij monumẽta. Illi duo cõſulares fuerũt, Brutus prætorius, Publius Mutius etiã pontifex maximus. Ab his profecti ſunt Publius Rutilius Rufus, qui Romæ cõſul, & Aſiæ

procõſul fuit: Paulus Verginius, & Quintus Tubero ille Stoicus Panætij auditor, qui & ipſe conſul: etiã Sextus Pompeius Cnei Pompei patruus.

Publius Mutius. *Horum Cicero honorificã mentionem faciens in libro de legibus: Si quæreretur (inquit) quis'nam iuriſconſultus uerè nominaretur, Sextum Aelium, Marcum Manilium, & Publium Mutium nominarem.*

Et Brutus. *Brutorum familia Romæ nobilis & clara fuit. Ipſe tamen M. Brutus orator inſignis nullum honorem prætura maiorem geßit.*

Et Manilius. *Hunc Marcum Manilium apud Ciceronem Craſſus dicit, ſe uidiſſe tranſuerſo foro ambulantem, ut ciuibus cõſulendi ſui copiam faceret: ad eumq́; & Sextum Aelium non ſolùm de iure ciuili, uerumetiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique negotio, aut officio, relatum fuiſſe.*

Idem Marcus Manilius, qui ab alijs etiam Torquatus dicitur, fuit conſul cum L. Martio Cenſorino. Ab urbe DCV. à regibus CCCLXI. Mortem autem obijt M. Portio Catone, & Q. Martio Rege coß. Proinde non eſt uerum, quòd Manilius cum Catone fuerit conſul, ab urbe DCXXXVI. à regibus CCCXCII.

Fundauerunt. *Hoc eſt, quaſi fundamento quodam firmarunt, & ſtabiliuerunt. Transfertur enim eleganter ad incorporalia. Cicero: Quantum etiam in me fuit, ieci fundamenta pacis. Porrò Iuriſconſulti per rationes ex natura ductas, oſtenderunt ſuis libris quid in quolibet negotio iuſtũ uideretur. Quod cùm antea factum non eſſet: etiamſi multæ leges extarent: ſemper tamen ius ciuile habitũ eſt incertum, fluctuans, ſuſpectum.*

Inſcripta

Inſcripta. *Hoc eſt, ſuprà ſcripta, uel intitulata (ut nunc loquimur) hoc modo, Manilij monumenta: quemadmodum libros Ciceronis inſcribi uidemus tali tit. Opera Ciceronis, & Opera Auguſtini.*

Illi duo. *Videlicet, Brutus, & Manilius.*

Conſulares. *Quia conſulatum geſſerunt, atque ex eo ordine fuerunt ut gererent.*

Publius Mutius *Is eſt Mutius Scæuola, qui cùm à patribus rogaretur, ut Rempublicam propter legem Agrariam; quam Tyberius Gracchus tribunus plebis ferre uolebat commotam, capeſceret: Reſpondit, ſe nec autorem inteſtini belli fore: nec ciuem Romanum indicta cauſa necaturum: nec, ſi quid per uim ad populum Gracchus tuliſſet, pro lege habiturum. Quod per errorem Q. Mutio Scæuolæ auguri tribuitur.*

Profecti ſunt. *Quemadmodum à parentibus liberi ſecundum naturalem procreationem, ita ab iſtis Iureconſultorum inſtitutionibus, eruditi admodum uiri in Rempublicam proceſſerunt.*

Publius Rutilius Rufus. *Obſerua hic: quòd Romæ conſules, in prouincijs proconſules dicebantur: cùm tamen utrobique parem haberent nomine Romanæ Reipublicæ autoritatem.*

Fuit autem Rutilius conſul cum C. Manilia Maximo: ab urbe DCXLIX. *à regibus* CCCCV. *Meminit eius, l. iij. §. fi. ff. de pen. legat Deinde cùm proconſul Aſiam à publicanorũ iniurijs defenderet: accuſatus ab eis calumniosè, tandẽ cõtra ius cõdemnabatur in exiliũ. Cõſolatus ab amico, quòd breui reuerſurus eſſet: Quid tibi (inquit) malè feci, ut mihi peiorem reditum, quàm exitum optares? teſte Seneca. Cicero de orato. lib. j. Valerius lib. ij. cap. 5.*

Ille Stoicus. *Per emphaſim ſic indicat Tuberonem: quoniam Stoicorum opiniones tam pertinaciter & diſputando, & uiuendo defendere nitebatur, ut prorſus inciuilis æſtimaretur. deiectus item eam ob rem prætura. Valerius lib. 7. cap. 5.*

Qui & ipſe conſul. *Quintus Tubero fuit conſul cum Paulo Fab. Maximo: ab urbe* DCCXLIII. *à regibus* CCCCXCIX.

Fuit & eodem tempore Cælius Antipater, qui hiſtorias conſcripſit: ſed plus eloquentiæ, quàm ſcientiæ iuris operam dedit. Etiã Lucius Craſſus frater Publij Mutij, qui Munianus dictus eſt. (Hunc Cicero ait iuriſconſultorum diſertiſsimum.)

Cælius Antipater. *Is multorum quidem magiſter eloquens fuit, & L. Craßi ſummi oratoris: ſed iuris ſcientiam cum eloquentia non coniunxit: linguam duntaxat, non etiam animum erudiens.*

(Hunc Cicero ait.) *Audaculus aliquis hallucinatus apud Ciceronem adiecit hæc uerba. Non enim Cicero in Bruto Publium Mutium iuriſconſultorum diſertißimum dixit. ſed Quintum Mutium huius filium, cuius fit mentio ſequente loco. Iniuriam ergò facit Pomponio, qui erroris eum falsò accuſant.*

Poſt hos Quintus Mutius Publij filius, pontifex maximus, ius ciuile primus conſtituit, generatim in libros decem & octo redigendo. Mutij auditores fuerũt cõplures: ſed præcipuæ autoritatis Gallus Aqui

lius,

lius, Balbus Lucilius, Sextus Papyrius, Caius Iuuentius. Ex quibus Gallum maximæ autoritatis apud populũ fuiſſe Seruius dicit. Omnes enim hi à Seruio Sulpitio nominantur: alioquin per ſe eorum ſcripta nõ talia extant, ut ea omnes adpetãt. Deniq; nec uerſantur omnino ſcripta eorum inter manus hominũ: ſed Seruius libros ſuos compleuit, ex cuius ſcriptura ipſorum quoque memoria habetur.

Quintus Mutius. *Ex familia Scæuolarum latè admodum patente, duo præcipui fuerunt: Q. Mutius Scæuola augur, & Q. Mutius Scæuola pontifex maximus, de quo Pomponius hic loquitur.*

Hunc autem Scæuolam pontificem, orta inter Syllam & Marium de imperio contentione, C. Fimbria trucidauit fugientem ad aram, cùm Marius factione ſua ſub ſpecie habendi ſenatus, urbẽ occupaſſet. Deinde perditiſſimus homicida, intelligens Scæuolam aliquamtiſper recreatum: adiecit ſceleri ludibriũ, eiq; diem apud populum dixit. Interrogatus autem, quid de eo ſecus iudicaturum iri uellet, quàm cui pro ſanctitate morũ, ſatis digna laudatio reddi nõ poſſet? Reſpondit, ſe obiecturum illi, quòd parcius neque toto corpore telũ excepiſſet. O nefandã nefandiſſimi hominis uocẽ.

Cõſtituit. *Hoc eſt, ad bonã formã diſpoſuit. Cicero: Ineuntis enim ætatis inſcitia, ſenũ cõſtituẽda & gubernãda eſt prudẽtia.* II. *Cõſtituere, eſt ſtatuere, decernere ſumma autoritate. Hinc cõſtitutiones principũ dicũtur. §. Sed & quod principi. inſt. de iur. natura. gẽti. & ciui.* III. *Cõuenire & pactũ facere. Vnde cõſtituere pecuniã, hoc eſt, cõſtitutũ ſeu placitum*

ſit de iudicibus,qui ius rectè conſtitutũ,rectè ſubditis admi-niſtrẽt.Etenim ad eã functionẽ deſignari oportet pios uiros, hoc eſt, qui primùm regnum & uerbum Christi quærant. Deinde,qui ſic fuerint bonis & literis & moribus eruditi, ut uita atq; fortunæ ſubditorum tutò poßint illis committi, dicente Iuſtiniano in proœmio Inſtitutionum.

Et profectò niſi talibus initijs auſpicati fuerint reparationẽ politiæ in Republica illi,ad quos ea res pertinet: tandem lampadem ſeſe cum oleo ſentient perdituros.

CAP. II. FINIS.

CAPVT III. DE PROFESSIONE PRVDENTIVM.

ARGVMENTVM.

Poſtremo nunc loco tractat Pomponius ſucceſsionem prudentiũ,qui in Republica Romana ſemper fuerunt:ſcholaſticam exercentes profeſsionem.

IVRIS ciuilis ſcientiã plurimi & maximi uiri profeſsi ſunt: ſed qui maximæ dignationis apud populum Romanũ fuerunt,eorũ in præſentia mẽtio habenda eſt;ut appareat,à qbus & qualibus hæc iura orta & tradita ſint. Et qdẽ ex omnibus,qui ſcientiã nãcti ſunt ante Tyberiũ Coruncanũ publicè profeſſum neminẽ,traditur:cæteri autẽ adhuc uel in latenti ius ciuile retinere cogitabant, ſolumq;

lumq́ cõſultatoribus potius, quàm diſcere uolentibus ſe præſtabant.

Scientiam. *Hoc eſt, cognitionem ciuilium rerũ per cauſas. Id enim propriè ſcimus, cuius cauſam intelligimus. Qui ergo nõ cognoſcit cauſas iuris: certè is nec poteſt profiteri ſcientiam eius. l. j. ff. de iuſtit. & iur.*

Maximi uiri. *Iuris enim ſciẽtia cùm ſemper ſummo honore ſit habita: maximi nominis reddidit eius profeſſores. Et profectò, ſicut corpus noſtrũ ſine mente cadauer eſt: ita ciuitas ſine legibus certis, pernicioſa cenſetur hominũ colluuies: hoc eſt, multitudo ex diuerſis locis inutiliter uelut ſordes coacta. Cicero pro Cecinna: Nihil enim (inquit) tam diligenter retinendũ, quàm ius ciuile: quo ſublato, nihil cuiquã exploratum eſſe poteſt, quid ſuum, quid alienum ſit.*

Quanquã autẽ iuris ſcientiam plurimi ſint profeſſi: non tamẽ omniũ nomina poſſunt, aut etiã expediret ſtudioſis recenſeri: ſed excellentiſsimorũ duntaxat mentio habenda eſt.

Vt appareat. *Optimæ rationes ſunt, quare ſucceſsio prudentium demonſtranda ſit. Primùm, quia dignatio perſonarum, fides item & eruditio autorum, non mediocriter commendant leges ab eis latas. Deinde, qua forma, quo ſtudio & deliberatione traditæ ſint ab eis: nemo ſatis admirari poteſt, qui non totam profeſſorum iuris ſeriem perſpexerit, quomodo alius alia in re plus præſtiterit.*

Nancti ſunt. *Sic enim antiqui dicebant, cùm ſit nanciſcor à nancio, cis, autore Priſciano. Nunc nacti ſcribimus, detracta, N, litera.*

Tyberiũ Coruncanum. *Huius tanta fuit autoritas, ut de omnibus diuinis & humanis rebus ad eũ deferretur, ut eſt uidere apud Ciceronem, de Orato. lib. iij. & Liuium*

uium libro xviij. Fuit autem conſul Romæ cum P. Valerio Leuino: anno ab urbe condita CCCCLXXIII. *ab eiectis regibus* CCXXIX.

In latenti. *Latet quod uel occultum, uel incertũ eſt.* *Nulla prorſus ratione defendi poſſunt ſtulti profeſſores, qui iuris ſcientiam in latenti (quantum in illis eſt) retinere cogitant, ac nõ potius ultrò ſe diſcere uolentibus exhibent. Meritò igitur Cicero talem inſaniam reprehendit in oratio. pro Murena: & Seneca ad Lucilium ſcribens olim, nihil prius in uotis habuit, quàm omnem ſcientiam ſuam in alium transfundere.*

Fuit autem in primis peritus Sextus Papyrius, qui leges regias in unum cõtulit. Ad hoc Appius Claudius unus ex decem uiris, cuius maximũ conſiliũ in duodecim tabulis ſcribẽdis fuit. Poſt hũc Appius Claudius eiuſdem generis maximã ſcẽtiã habuit. Hic Cæcus appellatus eſt, & Appiam uiã ſtrauit, & aquã Claudiã induxit, & de Pyrrho in urbẽ nõ recipiẽdo ſententiã tulit: hunc etiã actiones ſcripſiſſe traditũ eſt, primumq́ de uſurpationibus, qui liber nõ extat. Idem Appius Claudius uſu, qui uidetur ad hoc proceſſiſſe, R. literam inuenit: ut pro Valeſijs Valerijs eſſet, & pro Fuſijs Furijs,

Sextus Papyrius. *Non eſt accipiendus ille, qui puer adhuc cum patre ſenatum ingredi ſolebat. Et matri curioſius, quàm par eſſet, ſecreta percontanti reſpondit, conſultum*

ſultum fuiſſe,an è re foret,uni uiro duas uxores permitti: ac inde honorificum prætextati cognomen meruit. Sed de Mamio Papyrio,cuius & ſuprà fit mentio,hîc loquitur, autore componendi iuris regij.

Superius autem dixit: In unum compoſuit, *nunc dicit:* In unum conſulit.

Ab hoc. *Id eſt,poſt hunc Papyrium,aliquo tamen temporis interuallo. Nam non tempus,ſed iuris ſcientiam tractat Pomponius,ut omnia ſecundum materiam intelligas.*

Appius Claudius. *Quo in legibus ferendis nemo unquam fuit diligentior:in adſerendis autem nemo remiſſior. Anno ab urbe* CCCIII. *abiectis regibus* LIX.

Appius Claudius. *Hic cæcus eſt cognominatus. Fuit primùm conſul cum L.Volumnio Flamma Violenſi: anno ab urbe* CCCCXLVII. *ab exactis regibus* CCIII. *Aquam autem,cuius hîc fit mentio,ſine autoritate ſenatus, inuita nobilitate primus in urbem inuexit: cùm antea quadringentis amplius annis puteorum ac fontium aqua plebs fuiſſet uſa.*

Viam quoque Appiam ſtrauit, Roma Capuam uſque, hoc eſt,centum trigintaquinque millibus paſſuum,teſte Iulio Frontino.

*Scæuola in l.uxorem.§.concubinæ ff.de legat.*III. *Fundamentum (inquit) in Appia cum uillico.Sicut & nunc per appellationem uiæ demonſtrari ſolet locus agri: quod Accurſium latuit.*

Et de Pyrrho. *Pyrrhus rex Epirotarum,à Tarentinis contra Romanos in auxilium uocatus, cùm illatis & acceptis bello cladibus,Cyneam legatum ad ſenatum miſiſſet, ut componendæ pacis cauſa rex in urbem reciperetur,iamq; ſenatus eò inclinaret:Appius Cæcus re comperta, ſella in ſe-*

natum uectus, luculenta oratione, ne pace facta, Pyrrhus in urbē reciperetur, obtinuit. Liuius lib. 13. Valer. lib. 4. cap. 5.

Hic autem Appius non eſt, de quo fit mentio in l. j. §. caſum. ff. de poſtuland. Nam locus ille de Publio Cæco loquitur: quod multos feſellit.

Ad hoc proceſsiſſe. *Vſus enim de una re ad aliam procedens, experientiā quandam ſolet ſuppeditare, & multa ſæpe nos docet imprudentes. Vſus igitur, non ars perduxit Appium ad inuentionem, R, literæ: ſicut & alia multa iam nunc tali modo reperta uidemus.*

Fuit poſt eos maximæ ſcientiæ Sempronius, quem populus Romanus σόφον appellauit: nec quiſquā ante hunc hoc nomine cognominatus eſt. Sed & C. Scipio Naſica, qui optimus à Senatu appellatus eſt: cui etiam publica domus in ſacra uia data eſt, quò faciliùs conſuli poſſet. Deinde Quintus Fabius, qui ad Carthaginenſes miſſus legatus: cùm eſſent duæ teſſeræ poſitæ, una pacis, altera belli: arbitrio ſibi dato, utram uellet, referret Romā: utrāque ſuſtulit, & ait Carthaginenſes petere debere, utram mallēt accipere. Poſt hos fuit Tyberius Coruncanus, qui (ut dixi) primus profiteri cœpit: cuius tamen ſcriptū nullum extat, licet reſponſa compluria & memorabilia eius fuerint. Deinde Sextus Aelius, & Publius Atilius maximā ſcientiā in profitendo habuerunt: & duo Aelij

etiam

etiam cõſules fuerũt. Atilius autẽ primus à populo ſapiens appellatus eſt. Sextum Aeliũ etiã Ennius laudauit: & extat illius liber, qui inſcribitur tripertita, qui ueluti cunabula iuris cõtinet. Tripertita autem dicitur, quoniã lege duodecim tabularũ præpoſita, iungitur interpretatio, deinde ſubtexitur legis actio. Eiuſdẽ eſſe tres alij libri referunt: quos tamẽ quidam negant eius eſſe. Hos ſectatus eſt ad aliquid Marcus Cato princeps Porciæ familiæ, cuius & libri extãt: ſed plurimi filij eius, ex quibus cæteri oriuntur.

Σόφον appellauit. *Obſerua hîc diligẽter, q̃ præclaros uirtutis & eruditiõis titulos emeriti ſunt boni uiri apđ Roma.*

Et quia maximam ſcientiã Sempronio populus Romanus attribuit, rectiſsimè σόφον cũ appellauit. σοφὸς enim Græcis eſt, quos Latinis ſapiens, doctus, acutus, ſcitus, bonus, utilis: à σοφία ſapiẽtia. Et Romani cùm aliquẽ laudare uellent, quòd doctè oĩa dixiſſet, aut prudẽter feciſſet: σόφον appellabãt, uel mox adclamabãt σοφῶς, hoc eſt, ſcitè, doctè, acutè, ſapienter.

Quemadmodum autem pulchrum eſt à bonis uiris ſic uerè laudari: ita turpe eſt, ſi ambitioſi homines conducant redimantq; huiuſmodi laudatores, qui neq; ex animo, neq; uerũ prædicent. Vnde Σοφοκλεῖς Græcè, laudiceni Latinè ſunt dicti, qui cœna pacta laudari ſeſe iubent.

Neque uerò deſunt adulatores hodie, qui fumum falſæ laudationis minimo uendituri, & ſtultum aliquem non modo σόφον, uerumetiam magiſtrum noſtrum, aut ſi malis, lucem mundi libenter appellaturi ſint.

beat uulgi iudicium de uirtute Scipionis.

Publica domus. *Magnus olim honor erat, ſi cui publicè domus daretur: hoc eſt, impenſis publicis.*

In ſacra uia. *Multis rationibus ſacra dicebatur. Primùm, quòd augures per eam proficiſci: deinde, quòd omnia Romanorum pſeudoſacra per eam uehi: denique, quòd triumphi omnes hac agi ſolerent, Varrone teſte.*

Duæ teſſeræ. *Multifariam teſſera ſolet accipi. I. Pro quadrata re ad aleam parata,* vvirffel. *II. Pro ſigno, quo uel pax, uel bellum adfertur. III. Pro ſymbolo bellico, quod propter confuſionem exercituum euitandam militibus dabatur,* Die loſſe, oder loſzeichen. *IIII. Teſſera frumentaria dicitur, quam oſtendens accipiebat certam frumenti menſuram. Sicut iam nunc pauperes impetrare ſolent. l. mortuo boue. §. j. ff. de legat. II. l. ſed & ſi ſuſceperit. §. j. ff. de iudici. V. Pro ſigno, quo hoſpes agnoſceretur olim,* Ein vvarzeichen der geſte. *VI. Teſſera ſecuritatis dici poteſt ſaluus conductus, ut nunc uocant. VII. Pro talea,* Ein kerbholtz.

Vtranque ſuſtulit. *Magnanimitatis argumentum non mediocre fuit, animo tam infracto ſine ulla cunctatione, datam optionem torquere in aduerſarios.*

Et Publius Atilius. *Is eſt, quem paulò antè Sempronium nuncupauit, cognomen Græcum ſecutus. Quod euidentius eſſet, obiter repetit:* Atilius autem primus à populo ſapiens appellatus eſt.

Ennius laudauit. *Maximus honor ſemper fuit à doctis uiris laudari. Quare Pomponius inter præcipua Iuriſconſultorum encomia refert: quòd Sextus Aelius ab Ennio poëta laudatus ſit uerè, non per adulationem.*

Tripertita. *Neutro genere. Hoc eſt, liber continens*

tium & caput, cognomen ſuum toti familiæ reliquit, ut Portia diceretur. Fuit Romæ *cenſor cum* L. Valerio *admodum ſeuerus. Quam ob rem ſæpiſſimè ab inimicis accuſatus iudicio capitali, ſemper innocẽs abſoluebatur. Græcas literas* Ennio *præceptore ſenex didicit.* Inde *(inquit* Valerius*) æſtimemus, q. etiã Latinas penè iam ſenex didicit, lib.8.cap.7.*

Sed plurimi. *Extant quidem libri Catonis ſenioris, id eſt, qui inſcribuntur Catoni: ſed plurimi ſunt filij eius, ex quibus illi quoq; libri ſub titulo patris prodeuntes orti ſunt.*

Cato enim duos habuit filios ex duabus nuptijs: quorum prior uiuo patre mortuus, egregios in iure libros reliquit: ex quibus haud dubiè parens paucis mutatis, aliquos ſibi uindicauit, ſicut hic uidetur innuere. Poſterior *uerò filius* Catonis Stoicæ *ſectæ adhærens,* Vticæ *perijt, unde* Vticenſis *eſt nuncupatus.*

Proinde *quod eſt in l.iij.§.Cato.ff.de uerbor.obligation. non poteſt tribui ulla ratione Catoni* Vticenſi*: ſed ſcriptum prioris eſt Catonis. Qua in re cõmentatores errarunt.*

Catonis autem primi atque Cenſoris, qui unicum filium Vticenſem *reliquit ſuperſtitem, præclaram mentionem faciunt,* Liuius *lib.9. &* Cicero *de Orat. lib.1.*

Poſt hos fuerunt Publius Mutius, & Brutus, & Manilius, qui fundauerunt ius ciuile. Ex his Publius Mutius decẽ libellos reliquit, Brutus ſeptẽ, Manilius tres. Extãt & uolumina inſcripta, Manilij monumẽta. Illi duo cõſulares fuerũt, Brutus prætorius, Publius Mutius etiã pontifex maximus. Ab his profecti ſunt Publius Rutilius Rufus, qui Romæ cõſul, & Aſiæ

Inſcripta. *Hoc eſt, ſuprà ſcripta, uel intitulata (ut nunc loquimur) hoc modo, Manilij monumenta: quemadmodum libros Ciceronis inſcribi uidemus tali tit. Opera Ciceronis, &c. Opera Auguſtini.*

Illi duo. *Videlicet, Brutus, & Manilius.*

Conſulares. *Quia conſulatum geſſerunt, atque ex eo ordine fuerunt ut gererent.*

Publius Mutius *Is eſt Mutius Scæuola, qui cùm à patribus rogaretur, ut Rempublicam propter legem Agrariam, quam Tyberius Gracchus tribunus plebis ferre uolebat commotam, capeſceret: Reſpondit, ſe nec autorem inteſtini belli fore: nec ciuem Romanum indicta cauſa necaturum: nec, ſi quid per uim ad populum Gracchus tuliſſet, pro lege habiturum. Quod per errorem Q. Mutio Scæuolæ auguri tribuitur.*

Profecti ſunt. *Quemadmodum à parentibus liberi ſecundum naturalem procreationem, ita ab iſtis Iureconſultorum inſtitutionibus, eruditi admodum uiri in Rempublicam proceſſerunt.*

Publius Rutilius Rufus. *Obſerua hic: quòd Romæ conſules, in prouincijs proconſules dicebantur: cùm tamen utrobique parem haberent nomine Romanæ Reipublicæ autoritatem.*

Fuit autem Rutilius conſul cum C. Manilio Maximo: ab urbe DCXLIX. *à regibus* CCCCV. *Meminit eius, l. iij. §. fi. ff. de pen. legat. Deinde cùm proconſul Aſiam à publicanorũ iniurijs defenderet: accuſatus ab eis calumnioſè, tandẽ cõtra ius cõdemnabatur in exiliũ. Cõſolatus ab amico, quòd breui reuerſurus eſſet: Quid tibi (inquit) malè feci, ut mihi peiorem reditum, quàm exitum optares? teſte Seneca. Cicero de orato. lib. j. Valerius lib. ij. cap. 5.*

lius, Balbus Lucilius, Sextus Papyrius, Caius Iuuentius. Ex quibus Gallum maximæ autoritatis apud populū fuiſſe Seruius dicit. Omnes enim hi à Seruio Sulpitio nominantur: alioquin per ſe eorum ſcripta nō talia extant, ut ea omnes adpetāt. Deniq; nec uerſantur omnino ſcripta eorum inter manus hominū: ſed Seruius libros ſuos compleuit, ex cuius ſcriptura ipſorum quoque memoria habetur.

Quintus Mutius. *Ex familia Scæuolarum latè admodum patente, duo præcipui fuerunt: Q. Mutius Scæuola augur, & Q. Mutius Scæuola pontifex maximus, de quo Pomponius hîc loquitur.*

Hunc autem Scæuolam pontificem, orta inter Syllam & Marium de imperio contentione, C. Fimbria trucidauit fugientem ad aram, cùm Marius factione ſua ſub ſpecie habendi ſenatus, urbē occupaſſet. Deinde perditiſſimus homicida, intelligens Scæuolam aliquamtiſper recreatum: adiecit ſceleri ludibriū, eiq; diem apud populum dixit. Interrogatus autem, quid de eo ſecus iudicaturum iri uellet, quàm cui pro ſanctitate morū, ſatis digna laudatio reddi nō poſſet? Reſpondit, ſe obiecturum illi, quòd parcius neque toto corpore telū excepiſſet. O nefandā nefandiſſimi hominis uocē.

Cōſtituit. *Hoc eſt, ad bonā formā diſpoſuit. Cicero: Ineuntis enim ætatis inſcitia, ſenū cōſtituēda & gubernāda eſt prudētia.* I I. *Cōſtituere, eſt ſtatuere, decernere ſumma autoritate. Hinc cōſtitutiones principū dicūtur. §. Sed & quod princip. inſt. de iur. natura. gēti. & ciui.* I I I. *Cōuenire & pactū facere. Vnde cōſtituere pecuniā, hoc eſt, cōſtitutū ſeu placitum*

citum inire de danda cuipiam pecunia. Vnde eſt, Tit. de conſtit. pecu. I I I. Conſtituere cauſas & iudicia, eſt requirere legitimum in eis ſtatum, ſecundum quem procedere debeant. Vnde conſtituta iudicia rectè dixerimus ea, quæ ſunt legitimé ordinata. Hæc autem ſignificatio eſt adfinis primæ:

Generatim. *Per genera enim ius ciuile diuiſit: deinde ex his ad ſpecies eius deſcendens, de omnibus hominum negotijs methodica quadam ratione quid oporteret obſeruari, tradidit. Id enim eſt generatim digerere in libros: ex quibus haud dubiè Iuſtiniani Tribonianus Pandectas ſuas conſarcinauit. Alij præcedentes Iuriſconſulti in ſpeciem duntaxat ad quæſtiones ex facto ſibi propoſitas, ſine ulla ordinis ratione reſponderant: quod magis eſt cauſas, quàm ius tractare. Cicero de Orato. lib. j. Nulli fuerunt (inquit) qui illa artificiosè digeſta, generatim componerent.*

Omnes enim hi. *Obſerua hic, quanti ſint æſtimanda excellentium uirorum monumenta. Nam niſi Seruius Sulpitius in ſuis libris recenſuiſſet nomina auditorum Mutij, & inter illos præcipuæ autoritatis Gallum Aquilium fuiſſe: non extaret ulla eorum memoria, cùm ipſi nullos ſcripſerint libros apud poſteritatem recipiendos. Poteſt ergò unus homo eruditus, totam illuſtrare ſuis ſcriptis Rempublicam.*

Per ſe. *Videlicet, ſine nominatione Seruij.*

Scriptura. *Hic eſt fructus ſcripturæ maximus, ut omnium rerum & perſonarum memoriam ob oculos habeamus: bonarum, ut imitemur: malarum autem, quò magis euitemus.*

Seruius autem cùm in cauſis orandis primum locum, aut certè poſt Marcum Tullium obtineret: traditur ad conſulen-

dum

dum Quintũ Mutiũ de re amici ſui perueniſſe. Cumq́ eum de iure reſpondentem parùm intellexiſſet, & iterum Quintum interrogaſſet, & à Quinto reſponſum eſſet, nec tamen percepiſſet: ita obiurgatum à Quinto Mutio. Nanq́ eum dixiſſe: turpe eſſe patricio & nobili uiro cauſas exorãti, ius in quo uerſaretur, ignorare. Ea uelut contumelia Seruius tractus, operam dedit iuri ciuili: & plurimùm eos, de quibus locuti ſumus, audiuit: inſtructus à Balbo Lucilio, inſtructus autem maximè à Gallo Aquilio, qui fuit Cercinnæ. Itaque libri eius complures extant Cercinnæ confecti. Hic cùm in legatione periſſet, ſtatuam ei populus Romanus pro roſtris poſuit, & Hoſtiæ extat pro roſtris Auguſti. Huius uolumina complura extant. Reliquit autem propè centum & octaginta libros. Ab hoc plurimi profecerunt, ferè tamen hi libros conſcripſerunt: Alfenus Varus, Caius Aulus Ofilius, Titius Cæſius, Aufidius Tuca, Aufidius Namuſa, Flauius Priſcus, Caius Ateius Pacuuius, Labeo Antiſtius, Labeonis Antiſtij pater, Cinna, Publicius Gellius. Ex his enim decem, octo libros conſcripſerunt:

pſerunt:quorũ omnes, qui fuerunt, libri digeſti ſunt ab Aufidio Namuſa in centũ quadraginta libros. Ex his auditoribus plurimũ autoritatis habuit Alfenus Varus,& Aulus Ofilius:ex qbus Varus cõſul fuit,Ofilius in equeſtri ordine perſeuerauit:is fuit Cæſari familiariſsimus:& libros de iure ciuili plurimos,& qui omnẽ partẽ operis fundarẽt,reliqt. Nã & de legibus Vicẽſimæ, & de iuris dictione primus cõſcripſit.Idẽ edictũ prætoris primũ diligẽter cõpoſuit. Nã ante eum Seruius duos libros ad Brutum quàm breuiſsimos ad edictum ſubſcriptos,reliquit.

Seruius autem. *Memorabile refert exemplũ,quàm longo diſtent interuallo,ius ciuile,& eloquentia. Nam Seruius Sulpitius nemini præter Ciceronem ſecundus: Quintum tamen Mutium ex iure reſpondentem non intellexit. Vtrunque igitur coniungendum eſt ijs,quibus ſalus Reipublicæ credenda fuerit.*

Meminiſſe autem huius loci Valla debebat, qui nulla unquam iuris & æquitatis peritia inſtructus, uimq; & poteſtatem legum minimè gentium percipiens, nuda uerborum ſubtilitate,aduerſus grauiſsimos Iurecoſ. puluerem ſpargit inani moleſtia.

De Seruio Sulpitio ita ſcriptum reliquit Cicero in Bruto:Sic enim (inquam) Brute exiſtimo,iuris ciuilis magnum uſum,& apud Scæuolã & apud multos:artem in hoc unò. Quod nunquã effeciſſet ipſius iuris ſciẽtia,niſi eam præterea didiciſſet artem,quæ doceret rem uniuerſam diſtribuere

in part

in partes:latentē explicare definiēdo:obſcurā explanare interpretando:ambiguā primùm uidere, deinde diſtinguere: poſtremò habere regulā,qua uera & falſa iudicarentur:& quæ,quibus propoſitis eſſent,quæq; non eſſent, cōſequentia. Hæc ille.Budæus itē ueriſſimè: Vtinā uerò(inquit) tres Seruios haberemus pro ſexcētis iſtis Accurſianis.Id eſt,tres ueros,iuſtos,germanosq;,& (ut ita dicā)maiorū gentiū Iuriſconſultos,omniū diſciplinarū politicarum cognitione inſtructos,pro ſpurijs & degeneribus,& conſultorū nomē ementitis,illorum tamen iam diu ſuccidaneis.

Tractus. *Hunc habent bonorum uirorum ſynceræ admonitionis fructum:quòd ad uirtutis imitationem reducunt errantes. Contrà, malorum hominum adulatio, generoſos ſæpe animos ad uitia ſolet inuitare. Seruius enim, niſi à Quinto Mutio reprehenſus, non fuiſſet tractus ad præclaram iuris,& æquitatis diſciplinam.*

Hoc tempore iudiciorum cohors,neque eſt eloquens, neque ad meliora ſtudia trahitur, ſuis planè barbaris moribus relicta.

Hic. *Seruius Sulpitius, cùm in legatione, quam aduerſa iam ualetudine laborans ſuſceperat,mortem obijſſet:Cicero ei ſtatuam oratione habita impetrauit,Philippi.ix. Nihil autem apud Romanos accedere potuit honori eius, cui defuncto ſtatua poneretur, per quam memoriam bene meriti æternam fore putabant.*

Et Hoſtiæ. *Ne quis fortè dubitaret de fide huius honoris Sulpitio decreti:addit locum oppidi Hoſtienſis, in quo huiuſmodi ſtatua,cùm Pomponius hiſtoriam iuris ſcriberet, adhuc extabat.*

Ad hoc. *Cōmendat Seruiū à præſtantia diſcipulorum: ſicut paulò antè Quintum Mutium ab auditoribus doctis*

laud

laudauit.

Decem. *Adeò diſcipuli à Seruio profecerunt, ut ex decem illis, quorum nomina recenſuit Pomponius, octo diſcipuli libros conſcriberent plurimos: quorum tamen multitudinem Aufidius Namuſa in mediocritatem quandam digeßit.*

Varus conſul. *Anno ab urbe* DCCLIIII. *à regibus uerò* DX. *collegã P. Alfenus Varus habuit P. Vinitium.*

Vicenſimæ. *Nunc uigeſimam dicimus, tributum ſeu exactionem, ſicut decimam.*

Variata autem ſæpe fuit apud ueteres talis exactio, ut aliâs decima, aliâs uiceſima, nonnunquam quadrageſima, uel etiam centeſima pars ex agro uel alijs bonis ſolueretur. Et iam nunc quoque non una in omnibus locis eſt exactionis forma. Tempore Valentis & Valentiniani octaua pars exigebatur nomine uectigalium. l. Ex præſtatione. Et l. ſeq. C. de uectigal. & commiſſ.

Ad Brutum. *Vnde adparet etiam ueteres alterum alteri nuncupaſſe libros, honoris & amicitiæ gratia.*

Fuit eodem tempore & Trebatius, qui idem Cornelij maximi auditor: fuit Aulus Caſcellius, & Quintus Mutius Voluſij auditor: qui deinde in illius honorem Publium Mutium nepotem eius teſtamẽto reliquit hæredem. Fuit autem quæſtorius, nec ultrà uoluit procedere, cùm Auguſtus illi etiam cõſulatũ offerret. Ex his Trebatius peritior Caſcellio, Caſcellius Trebatio eloquẽtior fuiſſe dicit̃, Ofilius

utroque

utroq; doctior. Caſcellij ſcripta nõ extant, niſi unus liber Benedictorũ: Trebatij cõplures, ſed minus frequẽtantur. Poſt hos quoq; Tubero fuit, qui Ofilio operã dedit. Fuit autẽ patritius, & tranſijt à cauſis agendis ad ius ciuile; maximè poſtquam Q. Ligariũ accuſauit, nec obtinuit apud C. Cæſarem. Is eſt Q. Ligarius, qui cùm Africæ orã teneret, infirmũ Tuberonem adplicare nõ permiſit, nec aquam haurire. Quo nomine eũ accuſauit, & Ci. defendit: extatq; eius oratio pulcherrima, quæ inſcribitur, pro Q. Ligario. Et Tubero doctiſsimus quidẽ habitus eſt iuris publici & priuati: & complures utriuſq; operis libros reliquit: ſermone tamẽ antiquo uſus adfectauit ſcribere, & ideò parùm libri eius grati habentur.

Trebatius, qui idem. *Amiciſſimus Ciceroni, ſicut multis ad eum epiſtolis oſtenditur lib. vij. Porrò ſecutus Pompeianas partes, reſtitutus eſt à Cæſare, ope Ciceronis illius amiciſſimi.*

Aulus Caſcellius. *Venuſtus admodũ fuit iureconſultus. Conſulenti cuidam mercatori, ac inter alia dicenti: Nauem ſe cum ſocio diuidere uelle: Perdes, inquit. Scilicet iocatus, quòd nauis per diuiſionem ſecatæ, nullus ſit uſus.*

Huius Caſcellij meminit Cic. pro Corn. Balbo, ubi prædiatorẽ appellat, hoc eſt peritum rerum prædialiũ. Vnde & leges prædiales nuncupantur in l. utimur. ff. de ſepulc. uiolat.

In illius honorē. *Relatiuum, Qui, ad Voluſium pertinet. Vult enim Pomponius obiter explicare nobis honeſtiſsimū optimi præceptoris adfectum erga Q. Mutium, auditorem ſuū, quo ductus fuit, ut P. Mutium nepotem Q. Mutij hæredē instituere. Non eſt enim uulgaris amor, quem bonæ literæ inter præceptorem & diſcipulum conciliant.*

Fuit autem quæſtorius. *Videlicet, Quintus Mutius. Ad hunc enim redit Pomponius, ut inſignē eius magnanimitatē oſtenderet, qua oblatū ſibi magiſtratū repudiauit.*

Ex his Trebatius. *Confert ſtudia optimorum uirorum: ut diſcamus quid iuriſprudentia requirat maximè. Siquidem eloquentiam uſq; ad munditiem philoſophia moralis non repudiat: interim tamen ſummum orationis florem non deſiderans. Obſoleta omnino uitanda ſunt: multò magis fœdiſsima barbaries.*

Teneret. *Præfectus Africæ à Cauſidio cōſule relictus.*

Accuſauit. *Ipſe Tubero tanta uehementia: ut Cæſar iam decreuiſſet Ligarium damnare, uoluit tamen Ciceronem tam inſignem oratorem audire.*

Et Tubero doctiſsimus. *Optimè ergo ceſsit Tuberoni iactura litis apud Cæſarem. Nam tranſijt à cauſis ad ius ciuile, & doctiſsimus euaſit. Sic olim Zeno fœliciter paſſus eſt naufragium, ut philoſopharetur. Deniq; Seruius Sulpitius à Quinto Mutio bonis auibus fuit obiurgatus, operam exinde dans iuri ciuili, ut ſuprà §. Seruius autem.*

Adfectauit. *Quintilianus admonet, non mediocre eſſe uitium, ſi adfectata ſit oratio: ueluti, cùm anxiè nimis uerborum delectus exquiritur. Quod Græci* κακόζηλον, *hoc eſt, adfectationem appellant.*

Huic uitio adfinis eſt, multò tamen pernicioſior uerborum neglectus & inconſtantia: qua tandem factum eſt, ut to

ta iu

ta iuris diſciplina commentatorum barbarie ſcateat.

Poſt hunc maximæ autoritatis fuerũt Ateius Capito, qui Ofiliũ ſecutus eſt. Et Antiſtius Labeo, qui omnes hos audiuit, inſtitutus eſt autem à Trebatio. Ex his Ateius conſul fuit. Labeo noluit: cùm offerretur ei ab Auguſto conſulatus, quo ſuffectus fieret, & honorem ſuſciperet: ſed plurimũ ſtudijs operã dedit: & totum annum ita diuiſerat, ut Romę ſex menſes cũ ſtudioſis eſſet, & ſex menſibus ſecederet, & conſcribendis libris operã daret. Itaq; reliquit quadraginta uolumina, ex quibus plurima inter manus uerſantur. Hi duo primùm ueluti diuerſas ſectas fecerunt. Nam Ateius Capito, in his, quæ ei tradita fuerant, perſeuerabat: Labeo ingenij qualitate & fiducia doctrinæ fretus, quòd præ cæteris ſapiẽtiæ operã dederat, plurima innouare inſtituit. Et ita Ateio Capitoni Maſurius Sabinus ſucceſsit, Labeoni Nerua: qui adhuc eas diſſenſiones auxerunt. Nerua familiariſsimus Cæſaris fuit: Maſurius Sabinus in equeſtri ordine fuit, & publicè primus reſpondit, poſteaquam hoc beneficiũ cepit à Tyberio Cæſare. Et (ut obiter ſciamus) ante tẽpora Auguſti publicè reſpõdendi ius nõ à princi-

pibus dabatur: ſed qui fiduciã ſtudiorum ſuorũ habebant, conſulentibus reſpondebant: neq; reſponſa utiq; ſignata dabant, ſed plerunq; iudicibus ipſis ſcribebãt, aut teſtabantur, qui illos cõſuluerant. Primus diuus Auguſtus, ut maior iuris autoritas haberetur, conſtituit, ut ex autoritate eius reſponderent. Et ex illo tempore peti hoc pro beneficio cœpit. Et ideò optimus princeps Hadrianus, cùm ab eo uiri prætorij peterent, ut ſibi liceret reſpondere: reſcripſit eis, hoc non peti, ſed præſtari ſolere. Et ideò delectari ſe: ſi qui fiduciã ſui haberet, populo ad reſpondendum ſe præpararet. Ergo Sabino conceſſum eſt à Tyberio Cæſare, ut populo reſponderet, cùm in equeſtrem ordinẽ iam grandis natu, & ferè annorum quinquaginta receptus eſſet. Huic nec amplæ facultates fuerunt, ſed plurimum à ſuis auditoribus ſuſtentatus eſt. Huic ſucceſsit C. Caſsius Longinus: natus ex filia Tuberonis, quæ fuit neptis Seruij Sulpitij. Et ideò proauũ ſuum Ser. Sulpitiũ appellauit. Is & cõſul fuit cũ Quartino, tẽporibus Tyberij: & plurimũ in ciuitate autoritatis habuit, donec Cæſar eũ ciuitate expelleret. Expulſus ab eo in Sardiniã, reuocatus à Veſpaſiano, diem

ſuum

ſuũ obijt. Neruæ ſucceſsit Proculus. Fuit eo tempore & Nerua filius. Fuit & alius Longinus ex equeſtri quidem ordine,qui poſtea ad præturã uſq; peruenit; ſed Proculi autoritas maior fuit.(nã & ipſe plurimùm potuit)appellatiq; ſunt partim Caſſiani,partim Proculiani; quæ origo à Capitone & Labeone cœperat. Caſsio Cælius Sabinus ſucceſsit,qui plurimũ temporibus Veſpaſiani potuit; Proculo Pegaſus, qui tẽporibus Veſpaſiani præfectus urbi fuit; Cælio Sabino Priſcus Iabolenus,Pegaſo Celſus pater;patri Celſo Celſus filius,& Priſcus Neratius, qui utrique conſules fuerunt. Celſo quidem, & item Iaboleno Priſco Aburnius Valens, & Tuſcianus;item Saluius Iulianus.

Sectas fecerunt. *Recenſet Pomponius duos iuris profeſſores præcipuos: qui propter diuerſa ſtudia ac mores admodum diſsimiles,diuerſas fecerunt ſectas, quibus Romanus orbis in hodiernum diem diſsidet & conquaſſatur, ut ſunt homines ad diſſentiendum faciles.l.item ſi unus.§.principaliter.ff.de recept.ut ecce, Ateius Capito,& Labeo fuerunt ſub Tyberio Cæſare: & Ateius Capito in his, quæ ei tradita fuerant,perſeuerabat: nihil inſpiciens ad rerum & temporis circunſtantias: At Labeo fiducia doctrinæ, pleraque ad æquitatem exigens, innouabat. Item, Capito ſæpe in adſerendo iure, principibus obſequebatur, eorumq; ſententiam uel parùm probabilem confirmabat. Sed Labeo in-*

corrupta quadã libertate ueritatem adſerebat, nulli parcens. Præterea, Capito adeptus eſt conſulatum: Labeo autem repudiauit, ut eò liberior eſſet ad bona ſtudia. Poſtremò, Capitonis fama obſcurior, Labeonis præclarior fuit.

Labeonis autem exemplum omnibus bonis uiris eſt imitandum. Nam præceptorum ſententiæ ſic recipi debent, ut æquitati deſeruiant. Alioqui ueritas omnibus amicis eſt præferenda.

Sic Caßius excuſat ſententiam Sabini magiſtri ſui in l. Qualem autem. §. unde uidendum erit. ff. de recept.

Paulus diſtinguendo conciliat opiniones inter Proculum & Caßium: neutrius tamen errori ſubſcribit in l. illud quod. in princ. ff. de petitio. hæred.

Vlpianus præduram Labeonis ſententiam temperat in l. ſi cum excep. §. ſed & ſi quis. ff. quod met. cauſ.

Paulus ineptißimam Quinti Mutij adſertionem reijcit in l. poßideri autem. §. fi. ff. de acquiren. poſſeß.

Diſſenſiones auxerunt. *Hinc tot altercationes Doctorum ueram nobis cognitionem iuris obſcurarunt: dum quiſq; ſui præceptoris ſententiam qualemcunq; ſequeretur, & rixandi materiam multiplicaret.*

In equeſtri ordine. *Ordo, eſt cuiuslibet rei ſuo loco concinna digeſtio. Sic & in perſonis omnium maximè per iuſtitiam diſtributiuam apta quædam collocatio exigitur. Quare in Republica ordines dicimus, ſicut & in acie diſtributiones hominum, pro uniuſcuiuſque ſtatu & qualitate: ut ſingulæ functiones eò commodius intelligantur expedianturq;.*

Romæ fuerunt tres ordines, quorum etiam nunc in orbe Romano ueſtigia quædam retinemus.

I. *Ordo ſenatorius erat, qui patritios tantùm, ex quibus ſena*

bus ſenatus legebatur, continebat. Apud hos cenſebatur eſſe imperij maieſtas. Nos in hunc ordinem referre poſſumus omnes imperij ſtatus, qui iuſtis principum comitijs interſunt, atque ius dicendæ ſententiæ habent.

II. *Equeſter ordo medius dicebatur, à quo ad ſenatoriam dignitatem adſcenſus fuit: interim tamen iudicijs præficiebantur.* Equitũ inſigne fuerunt anuli aurei, quibus à plebe diſtinguebãtur. Tales hodie ſunt equites aurati, cum alijs Imperij beneficiarijs, qui ad publicam comitijs autoritatem interponendam non ſolent uocari.

III. *Plebeius ordo, & infimus fuit, in quem referebantur omnes Romani ciues tribuarij, hoc eſt, ad tribus pertinentes.* Nam ſerui & libertini (præterquam uindicta manumiſſi) non erant tribuum capaces: niſi ſpecialiter eis concederetur. Ex quibus intelligi põteſt l. patronus. in princi. ff. de legat. iij. ubi Accurſius ridicula commemorat de ſeruorum progenie.

Ad hos ordines reſpexit Vlpianus in l. j. §. ſed & ſi ſeruus. ff. de inſpicien. uent. Publicè enim (inquiens) intereſt, partus non ſubijci, ut ordinum dignitas familiarumq́; ſalua ſit.

Vindicta autem erat uirga, qua lictor præmiſſis ſolennibus uerbis tangebat ſeruum, quem dominus mox apprehenſum nõ prius libertate donabat, quàm dextra manu uertiſſet: haud dubiè, ut recordaretur manumiſſus alium ſe quaſi hominem, hoc eſt, alterius purioriſq́; conditionis effectum. Perſius:

– quibus una Quiritem Vertigo facit. Et,
Verterit hunc dominus. Item:
Vindicta poſtquam meus à prætore receſſi.

His ſolennitatibus paulatim detractum fuit. Et meritò.

Quorſum enim tendunt tot ceremoniæ ad præſtandam homini libertatem? ut apparet ex l. an apud ſe. l. ego cùm. & l. Manumiſſio. ff. de manumiſſ. uindict. Manumiſſio (inquit Hermogenianus) per lictores hodie domino tacente expediri ſolet: & uerba ſolennia, licet non dicantur, ut dicta accipiuntur. C. de uindict. & apud concil. manumiſſ.

Poſtremò, omnes manumittendi formulæ, unius ſunt effectus: quia iuſtam præſtant libertatem & tribum. l. j. C. de lati. liberta. tollen. inſt. de libert. in fi.

Labeoni Nerua. *Optimo præceptori optimus ſucceſſit diſcipulus: non ſolùm doctrinam, ſed etiam mores Labeonis referens.*

Cæſaris. *Videlicet, Tyberij. Hic Cocceius Nerua continuus principis comes, omnis diuini humaniq; iuris ſciens, integro ſtatu, corpore illæſo, moriendi conſiliũ cœpit. Quod ut Tyberio cognitum eſſet, adſidere ei, cauſas requirere, addere preces non deſtitit: fateri poſtremò graue eſſe conſcientiæ ſuæ, graue famæ ſuæ, ſi proximus amicorum Cæſaris, nullis moriendi rationibus uitam fugeret. Auerſatus ſermonem Nerua, abſtinentiam cibi coniunxit, donec uitam efflaret. Dicebatur integerrimus ille uir interitum Reipublicæ futurum præuidiſſe, atque ideò dum integer eſſet, honeſtum finem uoluiſſe, teſte Tacito.*

Cepit. *Hoc eſt, accepit Sabinus. Non autem cœpit, pro incepit: quia non à Tyberio, ſed ab Auguſto incepit tale reſpondendi beneficium, ut ſequitur.*

Et (ut obiter ſciamus) *Digreſſionem facit ualdè utilem, imò neceſſariam: ut intelligamus differentiam triplicem iuris prudentium, quam obſcurè confundit Tribonianus inſtit. de iur. natur. genti. & ciuil.*

I. *Fuerunt prudentes, qui leges duodecim tabularum*

interp

interpretabantur: quorum diſputationes fori, dicũtur ius ciuile, ſuprà, §. his legibus latis.

II. *Fuerunt prudentes, qui priuatim reſpondebant cõſulentibus, autoritate probabili, non autem neceſſaria.*

III. *Cœperunt publicè Imperatoris autoritate ſignatis ſcriptis reſpondere ſub Auguſto, à quorum reſponſis non licebat recedere, ut hic. Et de his poſtremis loquitur Iuſtinianus.*

Et ideo optimus. *Refertur iſta illatio tam ad uerbum,* Peti, *quàm ad uerbum,* Beneficio. *Exemplum enim eſt eorum, qui petierunt inſigni laude: & cum ſumma Imperatoris clementia impetraſſent facilimè, cenſebantur accipere beneficium. Quid enim aliud eſt beneficium, quàm clemens conceßio alicuius rei, ex aliena liberalitate dependentis?*

Hoc non peti. *Duplicem hæc uerba uim habent: alteram, ut ad Hadrianum principem referantur, hoc ſenſu: Non exiſtimare ſe beneficium ijs conferre, qui indulto ſuo de iure reſponderent: ſed ab eis accipere, ut quorum opera maximè declaretur. Siquidem Spartianus de eo ſic ſcribit: Omnes profeſſores & honorauit, & diuites fecit, licet eos quæſtionibus ſemper agitauerit. Alteram, ut uertamus hoc dictum ad profeſſores, tali modo: Non oportere profitendi functionem in eo tantùm collocari, quòd uenia ſit à principe petita publicè reſpondendi: ſed impetrandæ ueniæ potißimùm eſſe documentum, induſtriæ ſuæ unumquenque eò uſque ſpecimen edere, ut uideatur præſtare implereq; id munus poſſe. Proinde, ſi quis ea fiducia fretus eſſet, in medium prodiret, ueniam faciliter impetraturus.*

Vtroque ſenſu apophthegmaticum dictum, hoc eſt, bre-

uis & acuta Imperatoris ſententia: qua primum admonentur principes, quàm clementes eſſe debeant ad conſtituendas ſcholas. Deinde, quantum dedecus ſit, indulto principali admittere indoctos profeſſores, quos bullatos appellant, hoc eſt, aſinos ad lyram.

Hinc igitur academiarum autoritatem ab Imperatoribus conceſſam, emanaſſe colligunt: ut profeſſores hodie ſolenniter declarentur, quos uocabulo recentiore Doctores appellant à docendo: ſed quomodo doceant, uiderint ipſi, reddituri quandoq; rationem.

Ergo Sabino. *Redit ad Sabinum, à quo digreſſus fuit, iuxta doctrinam Ciceronis & Quintiliani. Cùm enim narratio cœpta, parergis & digreßionibus ſuſpëditur, utiq; reuertendum eſt ad ea, quæ principio proponuntur.*

Receptus eſſet. *Summa enim eruditio, magnarum in Sabino diuitiarum inſtar reputabatur, ne ſequentia repugnent. Nullus enim intra quadringenta ſeſtertia, in ordinem equeſtrem adſcribebatur, per legem Roſciam.*

A ſuis auditoribus. *Magna laus eſt auditorum, qui bonas literas in præceptore uenerarunt omnibus beneficijs. Socrati, cùm diſcipuli multa pro ſuis quiſq; facultatibus offerrent: Aeſchines pauper auditor ſeipſum donabat. Certè, Deo, parentibus, & præceptori bono, nunquam pares reddi poſſunt gratiæ.*

Et ideo proauum ſuum. *Gloriari autem eo nomine ſolebat Caßius, quòd à duobus clarißimis Iuriſconſultis, Tuberone & Sulpitio, deſcendiſſet. Sicut nonnunquam mihi iocunda eſt recordatio duorum auunculorum, non obſcuri nominis: quorum alter Albertus Krantzius Vuandaliam ſcripſit, Saxoniam, & Daciam, ne res Germanorum præclaræ prorſus obliterarentur.*

Donec

Donec Cæſar. *Neronē accipe, Corn. Tacito teſte.*

Quæ origo. *Obſerua hîc, quantò grauius ſuperiore ſeculo peccarint commentatores, qui frigidißimis altercationibus ſuis ſectas introduxerunt: ut alius nunc, aliam opinionem cauſæ ſuæ deſeruientem, ſequatur. Nec eſt tam iniuſta lis, quæ in tanta leguleiorum diuerſitate non inueniat defenſorem.*

Saluius Iulianus. *Hunc Imperator in l. penul. C. de condictio. indeb. Sublimißimum teſtem, ſummæq; autoritatis hominem, & prætoriani edicti ordinatorem appellat. Item in l. inter antiquam. C. de uſufruct. Summus iuris ſcientiæ autor uocatur.*

PERORATIO.

NVnc habes pie lector, abſolutam Romanæ Reipublicæ imaginem: quàm feliciter fuerit fundata legibus, mox omnium ordinum magiſtratibus, deinde ſcholaſtica prudentium profeßione. Iam quibus ex partibus unaquæq; res conſtet: in ijs ubi paulatim corrumpi cœperit, cum primis eſt emendanda, ſicut hactenus grauißimus autor Pomponius exemplis Romanorum nos docuit. Quid igitur eſt reliquum, quàm ut Imperatoria maieſtas cum alijs proceribus Germaniæ, ſibi hanc uerißimam reſtaurandæ in orbe Romano politiæ formam perſuaderi ſinat? exiſtimetq; non hominis, ſed Dei optimi maximi conſilium eſſe: quod omnibus ſeculis non fruſtrà deſcribi uoluit. Audendum eſt in re tam ſalutari: ſumendus ueritatis clypeus tandem aduerſus omnes inferorum portas. Non eſt diutius conniuendum apertis Barbarorum mendacijs, prælucente Chriſti uerbo: quo primùm omniū inuocato, non poteſt errori quicquid agitur, obnoxiū eſſe. Et mediuſfidius ſi hucuſq; uiduarū pupillorumq; lacrymæ, ad reſtaurandam

randam iudiciorum crudelitatem neminem mouerunt: ſaltem cruenta ubique diſsidia excitare nunc debent omnes, ne ad utranq; aurem tam diu dormiant, donec nihil ſpei ſit reliquum. Primùm igitur eſt regnum Dei quærendum: orandusq; eſt in uerbo eius, ut illuſtret eorum animos, ad quos pertinet optatam diu legum pædagogiam reparare: non uagis opinionum adfectibus, ſed ſecundùm uera iuſtitiæ præcepta, infinitis omnium ſeculorum exemplis adprobata. Sic enim ſperare licebit redituram tandem tranquillitatem, quæ nobis ad tranſigendam hanc uitæ bullam feliciter deſeruiat: ut tandem Chriſti regno adueniente, perpetua fruamur illius meritis beatitudine. Amen.

EPILOGVS

HISTORIAE DE ORIGINE ET PROGRESSV iuris ad hoc uſque ſeculum breuiter continuatus.

QVandoquidem de reſtauranda in orbe Romano politia ſecundum Pomponium, autorem grauiſsimum tractare cœpimus: operæpretium fuerit cœptam de legibus hiſtoriam, ad noſtra uſque ſecula perducere: ut ſicut originem earum luculentiſsimè uidimus: ita exitum quoq; & incredibilem ſeculorum uiciſsitudinem non ignoremus, quo tempore primùm præclara iuris diſciplina cœperit langueſcere, & quoties Deo autore reſtituta fuerit.

I.

Vrbs Roma *Princeps orbis, quæ diuina deſtinatione optimas nobis uiuendi leges dedit, condita fuit anno mundi* MMMMCCCCL. *Ante Chriſtum natum annos fermè ſeptingentos.* V*ſa eſt initio monarchia, hoc eſt, unius dominatione: non tamen omnibus numeris abſoluta: quoniam legibus certa ratione ſcriptis carebat. Imperarunt autem reges urbi magis, quàm orbi. Nam uix ad decimumquintum uſque lapidem* Romana *extendebatur ditio, cùm eijceretur* Tarquinius Superbus. *Regnauerunt annos* CCXL.

II.

Exactis deinde regibus, experti ſunt Romani *Ariſtocratiam, hoc eſt, optimatium dominationem. Creati enim ſunt duo conſules annui ex patribus. Mox plebs ob præduram potentiorum dominationem ſuos magiſtratus adiecit, anno ab urbe condita* CCXL. *mundi uerò,* MMMMDCLIIII. *Et hic quidem ſtatus durauit uſque ad* Iulium Cæſarem, *annis ferè* CCCCLXIIII.

Interim tamen urbs Roma*, ut eſſet poſteritati exemplo, haud dubiè diuina deſtinatione perpeſſa eſt Democratiam, hoc eſt, multitudinis imperium. Quod priuatis ſæpe commodis corruptum, degenerauit in Oliarchiam. Et tunc iterum deprauata* Reipublicæ *conditio, recta iuris conſtitutione reſtituta fuit in integrum.*

III.

Cùm iam imperio Iulij Cæſaris, *Reſpublica* Romana *ad monarchiam rediſſet, multiplicatis mirum in modum legibus & à diuerſis ſcholarum autoribus in diſputationem plus æquo perductis: maioris uidebatur negotij, leges tam*

ges tam immenſas componere, quàm fuerat olim deſcribere. Sic humana fragilitas in utranque ſemper peccat partem: aut nihil, aut nimium facit: non tenet medium.

Iuſtinianus itaque Cæſar LXXIX. *omnia* Romano*rum ſcripta in unum conſarcinauit opus: quod inde* Græ*cis* Pandectas, *Latinis* Digeſta *inſcripſit: ut utriſque leges* Romanas *autoritate ſua omnibus modis obſeruandas exponeret. Itaq; tertium deſeruiuit iuris compoſitio ad reſtaurandum eo tempore feliciter imperium. Vſus eſt ad hoc opera præcipuè* Triboniani, *hominis admodum gloriabundi. Anno Chriſti* DXXIX.

IIII.

Non *multis annis poſt imperium Iuſtiniani, cùm per bellicos inſultus continuos in* Italiam *omnes bonæ leges cum alijs diſciplinis oppreſſæ iacerent, regnantibus tum iniquiſsimis* Langbartorum, *aliarumq; gentium conſtitutionibus:* Vuernherus *quidã in* Italia *apud reginam* Mechthildim, *obſitos iam pulueribus in bibliothecis* Pandecta*rum libros, in lucem reduxit.* Hos Lotharius II. *dux* Sa*xonum,* Cæſar Germanicus XVIII. *perpendens æquitatem iuxta & humanitatem* Romanarũ *legum, iuſsit in ſcholis atq; iudicijs publicè tractari. anno* MCXXVII.

V.

Huius nouæ rei ſtudio (ut fieri ſolet) mirum in modum excitati ſunt cum Vuernhero, *quem* Irnerium *uocant, plerique alij, præſertim* Azo: *ut illuſtrandæ ſcholijs ſuis iuriſprudentiæ gloriam reportarent.* Paulò *poſt* Hu*golinus,* Martinus, Placentinus, Ioannes, Vldericus, *gloſſas ſuas* Pandectis *adiecerunt, anno* MCXC. *Idq; profectò infeliciter.* Nam *quum ſummo illo ſeculo eſſet lingua-*

rum ino

rum inopia: non potuit fieri, ut Barbari perciperẽt Romanos. Itaq; nitorem atq; grauitatem legum ualde obſcurarũt, atque in uarios ſenſus detorſerunt.

VI.

Tandem ſucceßit Accurſius, auditor Ioannis & Azonis, attingens Friderici II. *Imperium, anno* MCCXXVI. *Is repetitis omnium prædictorum gloßis & opinionibus, ſuas adiecit mirabili quadam inconſtantia: ſicq; præclaram iuris diſciplinam imprudens corrupit. Sicut enim cõſilium eius interpretandi iuris redargui non poteſt: ita culpam dantis damnum imperitia, nemo ſanæ mentis probabit. Quanquam ipſe ſibi placens, gloſſemata ſua cõmendat in l. facta. §. ſi in danda. ff. ad ſenatuſconſult. Trebell. Et Nouell. Vt præpon. nomen Imperato.*

VII.

Poſtremò, cùm gloſſandi materiam uiderent eſſe conſumptam: cœperunt commentandi functionem turmatim amplecti in totum ius ciuile, aut uerius in omnes gloſſas iuris ciuilis. Non enim uerba Iuriſcoß. ſed uerba gloſſarum, & opiniones ſequuntur, ſicut pueri coruos. Ibi tum altercationes, cautelæ multiplicatæ ſunt in infinitum. Et in primis commentatus eſt in Pandectas Dynus Muxellanus. Deinde Petrus de Bella Pertica, Burgundus & Iacobus de Arena, Parmenſis: quorum Bartolus ſæpe facit mentionem. Cynus item diſcipulus Dyni, anno MCCC. *Tum Iacobus de Butrigarijs, & Reinerius de foro Liuij, anno* MCCCXX. *Mox Bartolus ipſe cui inter omnes illius ſeculi iuriſperitos principatum rectè tribuunt. Vixit ſub Henricho* VII. *Lucelburgenſi, Cæſare Germano* XXX. *Is autem cùm iudex eſſet maleficiorũ, perturbatus quorundam cal*

dam calumnia, rediit ad ſtudia iuris in ſolitudine, ſecundo à ciuitate Bononienſi lapide: rurſusq; ad profitendum accerſitus, moritur. Anno MCCCLV. Et mediusfidius ſepulta cum eo fuit uera iuris cognitio.

VIII.

Eſt'ne igitur mirum, quòd conſtuprata nunc ubique ſint iudicia, corrupti mores, contemptus honeſtatis, adflictum ubique imperium? Profectò, cùm nullæ ſint certæ leges, quomodo optabis certam legum obſeruationem? Quid igitur faciendum? Ab eo eſt incipiendum (loquor politicῶς) quod toties reſtauratam Imperij conditionem reddidit, hoc eſt, à legum reparatione. Et mediusfidius quantò maiorem huic ſeculo commoditatem Chriſtus donauerit, quàm antea, quis non uiderit? Nam omnes bonæ artes, prælucente diuino uerbo, nunc renatæ ſunt.

Pandectarum lectionem optima fide ac multo labore reſtituit nobis doctiſſimus uir Haloander, anno MDXXIX. Quòd ſi reliquos eiuſdem farinæ iuris anteſignanos uidere uolueris, adi clariſſimum uirum D. Iacobum Spiegeliũ, qui erudito atque incomparabilis utilitatis lexico ſuo recenſet penè omnes, & neminem ſua laude uoluit defraudatum, ipſe uel eo nomine laudatiſſimus. Quem uirum Germaniæ noſtræ optimum ciuem, cùm quidam Floridus Italus, amarulento admodum ſtylo nuper inſectatus eſſet, arenam ſpargens, ſeipſum fœdè commaculauit. Quid rogo poſſit ad ſummam reſtaurandæ Reipublicæ felicitatem (ſi uti uoluerimus) deſiderari? Quam ob rem, pie lector, expende, num poſſit bonus Reipublicæ ciuis cenſeri, quem tanta Chriſti ſeruatoris noſtri clementia & dona non moueant, ad ciuilem diſciplinam tandem, (quantum in eo eſt) reparandam, ut inde melior Imperij ſtatus ſuccedat: cùm

dat: cùm hinc quotidianæ ſubditorum lacrymæ, illinc præclaræ rerum omnium occaſiones ſalutarem hanc operam efflagitent. Interim orandus eſt Deus, ut magiſtratuum noſtrorum corda illuſtret, quò magis reparatæ, ex bono & æquo politiæ uerum intelligant fructum, functionisq; ſuæ, dum tempus habent, ſint memores.

FINIS.

INDEX EORVM

QVAE SCITV DIGNA IN HOC LIBELLO VIDENTVR.

A

Appellationis ius eſt antiquiſſimum Pag. 22
Animaduertere bifariam accipitur 23
Antinomiæ decemuirorum conciliatio 24
Autoritas requirit prudentiam 26
Actiones quare debeant certæ & ſolennes eſſe 28
Actionum cura Pontificibus olim commendata 29
Autoritas dandarum actionum non faciebat magiſtratum in Pontificibus 14
Autoritas dandarũ actionũ ad prætores trãslata eſt Ibidẽ
Actionum formulas Appius Claudius ad formã redegit 31
Actionum formulæ quomodo multiplicatæ ſint 33
Antinomiæ de conſenſu populi conciliatio 35
Aedilium magiſtratus erat minimus 58
Aedilium autoritas cœpit creſcere 59
Aerarium unde dicatur Ibidem
Aes à quo ſignatum Ibidem
Aes noſtrum, æs circumforaneum 60

Abdicere, pro abiudicare 65
Appius Claudius uiam Appiam ſtrauit 81
Adulatores pernicioſi ſunt 83
Adulatoris memorabile exemplum 84
Autoribus doctis ſæpe libri falsò adſcribuntur 86
Antiquo ſermone, hoc eſt, obſoleto prorſus non expedit uti 97
Auli Caſcellij urbanitas 97
Aulus Caſcellius rerum prædialium fuit peritus 97
Antiſtius Labeo inſtitutus eſt à Trebatio 99
A' cauſis agendis ad ius ciuile tranſire honorificum eſt 98
Auguſtus primus conſtituit autoritatem reſpondendi 100
Auditores à præceptoribus cognominati ſunt 101
Ad diſſentiendum homines inclinati ſunt natura, ſcilicet corrupta Adæ lapſu 101
Altercationes Doctorum hoc tempore unde ſint 102
Apophthegma Hadriani optimi principis 105
Academiarum origo ab Auguſto Cæſare cœpit 104

B

Bonum quidem eſt inuenire; ſed melius inuenta foro adcommodare 32
Boni uiri eſt publica curare 33
Bella finitimorum acriora 53
Bonorum uirorum laus honorifica eſt 83
Bonorum uirorum obiurgationes ſunt fructuoſæ 95
Beneficium in quo eſt publica utilitas, præſtari debet ultrò à principe 105
Beneficium quid ſit 105

C

Comitiorum fructus quare hactenus non adpareat 4
Conſilium Gamalielis 6

Cognit

Cognitio rei perfecta 9
Ciuitas quid ſit 10
in Ciuitate duo ſunt neceſſaria Ibidem
Ciuitas appellatur eccleſia Ibidem
Ciuitas Deo gratiſſima 11
Ciuitas accipitur pro libertate Ibidem
Ciuitas pro mœnijs impropriè Ibidem
Conſilij Romani origo 12
Ciuitas quomodo ſit augenda 13
Curia unde ſit dicta & unde Curiales 13
Curiæ nunc uerus uſus non retinetur 14
Ciuitas ſine legibus, neq; ſubſiſtit, neq; reſtauratur 14
Componere quid ſit 15. & 21
Conſuetudo, ius incertum 17
Conſilium nullius eſt ſpernendum 25
Cōſuetudo impetrandæ actionis quomodo mutata fuerit 29
Conſilium unius uel paucorum, eſt melius, quàm multitudinis 36
Cauſa primùm tractanda eſt, deinde effectus 40
Ciuitas pro toto Romani imperij orbe Ibidem
Celeres qui ſint dicti à Romulo 48
Conſules unde dicti 49
Conſules primi Ibidem
Conſules à conſulendo quare ſint dicti 51
Conſules quam poteſtatem habuerunt olim Ibidem
Conſulum minor poteſtas, quàm regum fuit Ibidem
Cenſorum origo 51
Cenſum agere 51
Cenſores unde ſint appellati Ibidem
Cenſorium olim officium Ibidem
Contentio inter patres & plebem 68

Ciuitas ſine legibus eſt pernicioſa colluuies 79
Conſules Romæ, proconſules in prouincijs 82
Conſtituere 91
Cæſar uoluit Cicerorem audire, utut concepiſſet ſententiam 98
Caſus rerum aduerſus, ſæpe profuit doctis uiris Ibidem
Comparatio memoranda inter Capitonem & Labeonē 101
Cocceius Nerua moriendi conſilium cœpit ob labeſcentem Rempublicam 104
Ciceronis oratio pulcherrima 97

D

Dolium uoluere cum Diogene 8
Decem uirorum nomina 20
Decem'ne uiri, an tres ſolùm miſsi ſint in Græciam, conciliatio Ibidem
Diſputatio fori quid ſit 26
Diſceptare unde dicatur 28
Dictare metaphoricōs 40
Ducere uolentes 50
Ducere nolentes Ibidem
Dictatorum origo 52
Dictator quomodo maioris fuerit, q̃ Prætor poteſtatis 54
Dictatores unde ſint dicti Ibidem
Dictator primus Ibidem
Dictator dicebatur magiſter ciuium 55
Dominatio aſpera decemuirorum 63
Domum publicam dari, olim magnus honor fuit 85
Digreſsio commodè abſoluenda eſt, ut redeatur ad inſtitutum 106
Diuitiæ ordinis equeſtri Ibidem
Diſcipulorum magna laus eſt, ſi præceptorem alant. Sic &

Apoſtol

Apoſtolus obiurgat Græcos, quòd miniſtris nihil ſuppeditauerint Ibidem

E

Euangelij maieſtas non debet miſceri cum politicis tractationibus 6
Euangelium non abolet leges 6
Eccleſia & ciuitas paribus ambulent paſſibus 10
Eccleſiarum priuilegia & bona, ſunt publici iuris 11
Error leguleiorum 12
Exigere bifariam accipitur 17
Exolere pro deficere 17
Epheſij uitijs corruptiſſimi 24
Edicta prætorum quomodo cœperint 38
Edicere quid ſit 38
Epilogus iuris 43
Exemplum horrendum de iniqua crudelitate iudicis 61

F

Forus ineptiſſimè dicitur à formularijs 26
Factio bifariam accipitur 63
Fas ac nefas 65

G

Gratias oportet referre benemerentibus 32
Generatim 92
Gloriari licet de honeſtis parentibus 106

H

Hiſtoriarum uerus finis & uſus 3
Hiſtoria de Tarquinio Superbo 16
Hiſtoria de Cneo Flauio optimo ſcriba 31
Honor, pro magiſtratu 39
Hiſtoria Iulij Cæſaris aduerſus Pompeium 40
Hiſtoria Appij Claudij 64

Honor eſt maximus, à doctis uiris laudari 85
Honorem magiſtratus Labeo repudiauit cùm offerretur, ut ſtudijs operam daret 99
Hadriani optimi principis apophthegma 105

I

Iuris optima pars negligitur 5
Iuris Romani hiſtoria tribus capitibus continetur Ibidem
Iuris ſtudio neglecto imperia deminuuntur 6
In primis bifariam accipitur 9
Iterum dupliciter intelligitur 17
Ius hodie nullum eſt 18
Ius oportet prius reſtituere, quàm de politia cogitetur reparanda 19
Ius pro poteſtate 20
De interpretatione prudentium in Iure 24
Ius ſcriptum, Ius non ſcriptum quid ſit 26
Iuris progreſſus exponitur 27
Ius, quod Canonicũ uocãt, quare Romanenſes ſcripſerint 32
Ipſe, emphaſim habet 36
Intercedere quid ſit 37
Iuris ſcripti progreſſus Ibidem
Imperator nemini poteſt auferre rem ſuam 43
Ius eſſe, & Ius reddi, multùm differunt 46
Ius hodie non eſt, neq; redditur 47
Ius, niſi adplicetur perſonis, rebus, & locis, uanum eſt Ibid.
Imperia nunquam creſcunt ſine bellis malorum 53
Imperia non debere eſſe diuturna 55
Ius militare non eſt contemnendum 56
Iuris militaris hodie ne umbra quidem eſt 56
Iudicium 65
Iudices pij & eruditi eſſe debent 78

Iuriſconſultorum ſucceſsio apud Romanos, diligenter oſtendenda eſt 79
Iuriſprudentia eloquentiam ſummam non deſiderat, exigens tamen Romanam munditiem 98
Iuriſconſultorum triplex differentia 104

L

Lex certa quid 11
Lex perlata 18
Leges certas ſcribi communis ſenſus dictat 19
Leges nouæ omnibus debent innoteſcere 21
Leges corrigere quid ſit 22
Leges interpretari Ibidem
L.j.C.de iuris formul. explicata 28
Legis actio duplex 28
L.ij.C.de iuris formul. declarata 30
Non refert quibus autoribus bonæ leges ſcriptæ ſint 34
Legis rogandæ forma 49
Lanio 65
L. Vxorem.§.Concubinæ.ff.de legat.III.explicata 81
L.j.§.Caſum.ff.de poſtuland. Ibidem
L.iij.§.Cato.§.ff.de uerbo.obligat. 87
Lingua non ſolùm, ſed etiam animus eſt erudiendus 90
Labeo reliquit quadraginta uolumina 99
L.j.ff.de inſpicien.uentr.explicatio Ibidem

M

Manus pro poteſtate 12
Methodus plurimi æſtimanda 15
Mox quomodo accipiatur 34
Magiſtratus qui ſint 38
Methodus quid ſit 39
Magiſtratuum nomenclaturam duntaxat tenere ua-

num eſt 46
Milites limitanei ſub liminarcha 54
Magiſtri equitum qui fuerint olim 55
Militaris res quare diligenter ſit curanda Ibidem
Magiſtratu ſe abdicare 62
Magiſtratum prorogare 63
Marcus Cato princeps familiæ ſuæ 87
Memorabile exemplum de Marco Manilio 88
Monumenta doctorum uirorum plurimi æſtimanda 92
Menſibus ſex ſolebat Labeo ſecedere 99
Manumittendi formulæ omnes ferè abierunt in deſuetudinem 104

N

Natura duplex eſt 25
Nancti, pro nacti 79

O

Officia quo autore cœperint continuari 55
Oratio pro patribus 68
Oratio pro plebe 68
Ordines Romæ tres fuerunt 102
Ordo ſenatorius Ibidem
Ordo equeſtris 103
Ordo plebeius 103

P

Politiæ reſtaurandæ forma unde ſit petenda 4
Politia nunquam poteſt emendari, non purgato prius iuris ſtudio 6
Politia melior fit cum meliore iuris traditione 7
Populus Romanus fuit tributim diuiſus 13
Papyrij duplicis familiæ 15
Patientia quid ſit 18

Populus uiuere non poteſt ſine certo iure 18
Perſcribere quid ſit 21
Pro roſtris, ante roſtra Ibidem
Pontifices olim commiſſa ſibi actionum cura abutebantur 29
Pontificibus noſtris quomodo cura ciuitatum commiſſa ſit 30
Plebiſcitorum origo 34
Patres & patricij unde dicuntur 37
Per partes 40
Principem conſtituit Deus ipſe 40
Principis poteſtas quàm multiplex ſit 42
Politia non poteſt reſtaurari ullo pacto, niſi præcedat iuris reparatio 45
Politia triplex eſt 48
Promulgatio & rogatio differunt 49
Plebiſcitum de cuſtodia ædilium placuit patribus 58
Populo diſplicuit crudelitas Appij 65
De profeſſione Iuriſconſultorum Romanorum 78
Papyrius puer ingenui admodum animi 80
Pythagoras ſapientiſſimus 84
Parentes uindicarunt ſibi libros filiorum 87
Pomponius falsò reprehenditur 90
Præceptoris amor erga diſcipulum longè honeſtiſſimus eſt 98
Principum gratia mutabilis, iuxta illud: Nolite confidere in principibus 101
Præceptori optimo ſuccedere ſolet optimus diſcipulus, ut in diſcipulis Chriſti exemplum eſt 104

Q

De quæſtoribus duplicis generis 59

Quæſtorum officium indies eſt propagatum latius 60
Quæſtores hodie qui rectè dicantur Ibidem
Quæſtores paricidij 61
Quid ſit paricidium Ibidem
Quinti Fabij magnanimum factum 82

R

Reſpublica duabus rebus conſtat, quarum alteram non habemus hodie 25
Reſpublica poſt ſeceßionem recepit ſtatum ſuum 66
Reſpondit publicè primus Maſurius Sabinus 99
Reſpondendi mos quo tempore cœperit Ibidem

S

Similitudinis collectio ab opera docti uiri ad operam ruſtici, non ualet 15
Status Romani mutatio prima 16
Status Romani ſecunda mutatio 18
Scriba & ſcribarum munus quid ſit 32
Species, Poteſtas, quid ſit 34
Senatuſconſultorum origo 34
Senatus unde dictus ſit 36
Senatuſconſulti forma duplex 37
Senatus Romanus non appellabatur ſimpliciter magiſtratus 38
Status Romani quarta mutatio 39
Senatus creandi mos 40
Status Romanorum primus à monarchia cœpit 47
Status Romanæ urbis ſecundus fuit Ariſtocratia 48
Non ſufficere quem, bifariam dicitur 51
Seceßiones duæ fuerunt Romæ 57
Supponere dupliciter accipitur 65
Scire quid ſit 79

Stulti profeſſores ius in latenti tenent 80
Sophon appellari olim honorificum fuit 83
Sophi olim Doctores *nuncupabantur* 83
Summus titulus eſt,qui ducitur à uirtute 83
Scæuola augur,& Scæuola Pontifex 91
Scæuolæ Pontificis *crudeliſſima mors* 91
Scripturæ fructus 92
Seruij Sulpitij memorabile exemplum 94
Sermone adfectato , uel prorſus neglecto non eſt utendum 98
Sectæ Ateij *&* Labeonis *diuerſæ* 99
Sabinus à ſuis auditoribus ſuſtentatus eſt 101
Solennitatibus manumittendi paulatim detractum fuit 103

T

Tabulæ eboreæ uel eburneæ 21
Tribuni quomodo à tribubus dicti 58
Tribuni poteſtate conſulari 68
Tyberius Coruncanus *magnæ fuit autoritatis* 79
Teſſera multis modis accipitur 85
Tripertita quare dicantur Ibidem
Tubero ob pertinaciam prætura motus 90
Trebatius Ciceroni *amiciſſimus* 97

V

Vtilitas publica ſemper priuatis eſt præferēda obſequijs 32
Via,pro uera & iuſta ratione ſeu poteſtate 39
Vicinitas mala perniciosum eſt damnum 53
Verbi unius aliquando multæ ſunt rationes 57
Vindiciæ quæ ſint 64
Via ſacra 85
Vicenſima quid ſit 96
Veritas omnibus amicis eſt præferenda. Nam *ueritas eſt*

Deus

Deus 102
Vindicta quid olim fuerit 103

SOLI CHRISTO
GLORIA.